



PETER
SEABY
B



AD NUMMUM FURIÆ SABINIÆ TRANQUILLINÆ AUG. IMP. GORDIANI TERTII UXORIS.

DISSERTATIO.

Auctore OTTHONE SPERLINGIO. *V. J. Doct.*



AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM DESBORDES.
M. D. C. LXXXVIII.

Omnibus rei Nummariæ Mecænatibus & Studiosis

D. D. L. M. Q.

OTTHO SPERLING D.

AD NUMMUM FURIÆ SABINIÆ TRANQUILLINÆ AUG. IMP. GORDIANI TERTII UXORIS.

DISSERTATIO.

NUmmum, qui hic deſcribitur, ex rarioribus eſſe nemo inficiabitur: præterquam enim quod Auguſtarum imagines & nummi ſemper cæteris præcellant, & ipſis Imperatoriis cariores ſint, palmamque præripiant, etiam nummus hic, quem damus, in tot libris de re nummariâ hactenus editis nunquam uſquam, quod ſciam, comparuit. Eſt tamen optimi argumenti, quod paulò fuſiùs, non ſine fructu, tractari poſſe judicavi, & manus artificis, à cujus ſculpturâ proceſſit, elegantiam oſtendit, & delectamentum parit, ante omnia ve-

rò quod optimè conſervatus & ab omni parte integer ſuperſit, in eo commendari debet, ſcilicet quod paucis illa tempeſtate cuſis hoc contigerit, marceſcente jam nitore & ſtructurâ nummorum, quem tanto ſtudio prius ſeculum producere certaverat. Defecerant enim artifices, nullo pretio his ampliùs conſtituto, quæ ad materiam ſeligendam & elegantiam in nummis conſervandam pertinent. Nam ut ex quovis ligno Mercurium non fingi poſſe veteres animadverterant, ita nec ex quovis ære nummum, dum ætas iſta fuit attentiſſima & nitidiſſima: at poſtquam ſine curâ & abſque ingenio nummi cœperunt haberi, nihil tam rude, nihil tam inficetum & vile, quod non in nummis deprehendere liceat. Non excipio ævum Gordiani tertii, quo nummus hic cuſus eſt, neque enim argentum nec æs, nec manus ampliùs ſibi conſtabant, vergebant in barbariem omnia, eoque magis in hoc Tranquillinæ nummo laudandum occurrit, nactam eſſe tunc eam artificem non vulgarem, cujus manu ſculpta ſit. Si quid verò eſt ex meo muſéo hanc προθήκην accedere vaſtis reliquorum theſauris, qui nummos illuſtrarunt, haud equidem invidere volui, quos enim cœnâ centenariâ non licet, illos cœnâ brevi & unius aſſis accipere quid vetat hoſpites? dicatur mihi

ex

ex Terentio, *Symbolam dedit, cœnavit*: gaudebo.

Primum eſt quod ſignifico, æreum hunc nummum eſſe ex orichalco factum, pondere trium drachmarum circiter, quales ſolent eſſe Auguſti & Tiberii, quos in ære videmus. Nam ſub Trajano majores in ære nummos prodiiſſe ignorare non poſſunt qui nummos inſpexere. Rarò in pondere nummi ærei ſibi invicem exactè conveniunt, ſed & magnitudine & formâ differunt, nunc ampliore, nunc minore diametro idem pondus præferentes, tanquam ſi Portugallicos hodiernos & antiquos aureos conſideres, ejuſdem ſemper ponderis, ſed formæ minoris antiquos, recentiores πλατυπλάθεις. Cur verò nummi ærei tam diverſi ponderis occurrant, tam variæ formæ, in officinas monetariorum per Imperium Romanum cauſam conjicere licet, nam æreæ monetæ cudendæ jus omnibus ferè civitatibus & oppidis erat, argenteæ & aureæ non item, hinc tot in pondere & formâ ποικιλίας neceſſe fuit oriri, quot enim capita, tot ſenſus, quot officinæ, tot τύποι & τυπώματα.

Æruginem quoque nummi hujus ſi laudari quis deſideret, illam non ingratam adeſſe ſciat, quæ prodit metallum generoſius adhibitum, nam quò ærugo hæc, aut potiùs χαλκοῦ ἄνθος, vivacioris eſt coloris, eò ditius & ſele-

ctius æs inesse nummis constat, & ex melioribus metallis particulas confluxisse.

Cur verò nonnulli nummi ærei hac suâ pulchritudine nativâ superbiant, & alii præ aliis splendescant, non sola hæc causa est, sed quod in ejusmodi locis delituerint, qui vel æruginem planè nullam admiserint, quales sunt illi, qui vel nimis calidi & sicci, vel nimis humidi fuerunt, in quibus illud quod exsudat ἄνθος aut protinus perit, aut abluitur. Meliores omnino sunt illi, quos in monumentis & fornicibus servari contigit, illis enim liberior aër, & clausus tamen, hoc quidquid est quod in illis admiramur formæ & nitoris addit, præsertim si anniversaria libamenta vini acceperunt urnæ & cineres, cum quibus repositi sunt; omnium optimè verò, qui extra cineres in vase peculiari aërem hauserunt & tincturam suam. Hinc est, quod isti nummi, qui terrâ & luto circumfusi in tenebras compacti descenderunt, æruginem insuavem contrahant, scabri efficiantur, exedantur plerumque, & nulli usui futuri eruantur. Illud quoque monendum, orichalcum æruginem istam haud ita facilè ducere, nec nitidam adeò, ut solet æs rubrum, quod cuprum vel æs Cyprium & Gallo-Celticâ voce *Raudum* vel *Rodum* veteribus dicebatur, id quod nihil aliud significat quàm *Roth*

Ger-

Germanorum, unde adhuc illi artifices qui æra fundunt & tractant *Rothgeeters* iisdem vocari consueverunt. Plures omnino voces sunt ejusmodi, quæ Celticam & Germanicam linguas ejusdem originis fuisse monstrant, à Latinâ multùm discrepantes. Novi, qui hanc æruginem pro sordibus reputantes, si nummos ab illis emundarent & liberarent, operæ pretium se facturos crediderunt, dum excoquunt, abluunt, abradunt quantùm possunt; sed sinant se doceri, nihil æquè nummis æreis nocere, quàm hac veste denudari: quod cortex arbori, quod balsamum corporibus, hoc ærugo ista nummis præstat; illi enim integri maximè & præ cœteris optimè conservati supersunt, ac distinctiùs leguntur, quos illud ἀμφίμαλλον satis obtexit, cœteris quid non injuria loci & temporis attulit detrimenti? ita ut in mille errores conjiciamur ob hiatus in nummis frequentes, & literas exesas. Ne nunc dicam istiusmodi lanienas nummorum omnes notas genuinæ vetustatis exstinguere, & quæ placere solet Aquilæ senectus, quod vegeta sit, cariosâ facie sic deturpari, dumque vitia tantùm nova prodimus, postquam hæc spolia nummis detraximus, veterem gloriam omnem interire. Sunt rursus alii, qui quantum ærugine perpulchrâ picti nummi præstent, haud ignorant, ideoque

quod natura nummis negavit, arte ſtudent addere, nummoſque pigmentis quibuſdam incruſtant, ut ſatis niteant & ſplendeſcant: ſed hæc eſt ærugo mera, ex veteri verbo, & impoſtura, cum fuco ſcilicet, quam facilè deprehendas; eſt enim in talibus *ἀμίμητ☉ καὶ ἀμώμητ☉* natura, nec ullum artificium amœnam illam in nummis lucem, quâ nihil viridius viret, producere valet vel exprimere: breve eſt illud artis ingenium, ubi nihil ſaturum, hæbeſcunt & marcent omnia, nihil fixum aut perenne, nam ſubitò ejusmodi medicata defluunt. Nec unius generis ærugo in nummis naſcitur: optimè verò Galli ſuâ linguâ viridia diſtinxerunt: habent enim *verd de mer, verd de pourreau, verd de terre, verd de flamme, verd brun, verd gris, verd gay.* Et Germani, *Meergroen, Grasgroen, Berggroen, Switſergroen, Kopergroen, Stahlgroen, Liechtgroen.* Quos colores omnès etiam ærugo nummorum refert: nam prout metallum ſubeſt aut locus afficit, vel aër influit, ita color æruginis alius ſubinde & alius, modò triſtiùs, modo lætiùs viret. Noſter nummus ex viridi praſino ſe diſtinxit, ad obſcurum accedens, notaſque hinc inde rubentes & intercurrentes oſtendit, id quod extra omnem aleam & ſuſpicionem ingenuitatis confictæ illum conſtituit.

De nomine hujus nummi apud antiquos non

ſinit

ſinit me dubitare ipſa magnitudo & forma, aſſis enim nomen ejusmodi nummis erat commune, licet pondere non convenirent, ſed aliquando duas drachmas Romanas excederent. Nam duæ drachmæ Romanæ faciunt vulgò ἀσσάριον, ſeu aſſem illorum temporum. Hic verò nummus vel aſſis ſuperat tres etiam drachmas Romanas, cum pondus granorum noſtrorum 192. præferat; at cum grana 63. drachmam efficiant Romanam, ſed 72. grana, drachmam Colonienſem; pondere Romano reddet hic nummus tres drachmas & 3. grana, at pondere Germanico duas drachmas & grana 48. Novum verò non eſt in nummis æreis diſcrepare pondus, cujus æquè ac in argenteis & aureis, tam accuratam rationem inire non ſolebant. Sed & in univerſum Græci nummi, licet Romanas figuras exhibeant, ponderoſiores eſſe ſolent Romanis, & in Italiâ cuſis, non quod drachma Attica vel Græca pondere Romanam præcedat, erat enim & illa granorum 63. ſed quod amarent Græci magnificentiùs etiam nummos excudere. Inter mediæ magnitudinis ideo nummos noſter locum ſortietur, infra dupondios, qui erant 4. drachmarum vel granorum 252. & quod excedit.

Quo tempore nummus noſter cuſus ſit, Gordiani ætas docebit. Brevis eſt chronolo-

gia hujus imperatoris, sed satis intricata & incerta. Transeant errores innumeri, videamus autem, quid veri subsit. An. Urbis conditæ 766. Sext. Pompejo & Sext. Apulejo Coss. Augustum Imperatorem obiisse omnes præstantiores Chronologi consentiunt, cui Annum post Christum verè natum si velimus applicare, erit, omnium ferè calculo, decimus quintus. Et sic Annus nati Christi primus erit Urbis conditæ 752dus, Annus vero Orbis conditi ex recentissimâ Ravii & Wasmuthi computatione, sed accuratissimâ, 4141mus. Corn. Lentulo & Calphurnio Pisone Coss. Quæ Chronologia confirmatur testimonio S. Scripturæ, apud Lucam c. 3. vers. 1. & 23. ubi annus Tiberii decimus quintus dicitur annus Christi trigesimus, quo baptizatus est ex Jordane, ita ut falli nequeat hæc Chronologia in Annis Christi & Urbis comparandis: nam cum Annus Tiberii Imperatoris decimus quintus sit trigesimus Christi, & Annus primus Tiberii sit V. C. 766. Christi 15tus. necesse est Christi Annum trigesimum esse U. C. 781mum. Philippo Arabe imperante, Annum Urbis millesimum incidisse omnibus etiam convenit, erit ergo iste Annus Christi 249nus. Jam cum Philippus Arabs Gordiano mortuo statim imperium susceperit, & Augusti nomen in Oriente gesserit, quæritur quo an-

no Urbis & Christi Gordianus mortem oppetierit, & Philippus successerit. Fasti Goltziani, ut veriores, A.U.C. 996. qui est Annus Christi 245tus, exprimunt, quo Gordianus mense Martio vel occisus est arte Philippi, vel fato suo periit. Tunc ætas Gordiani ad Annum 22dum pervenerat. Dicit autem Capitolinus ipsum imperasse annos sex, ita ut nos fallant, qui ab A.C. 237. annos Imperii illius deduxerunt. Annus U.C. 988vus est Christi 237mus. Eo anno Gordianus tertius Cæsar dictus fuit annum agens decimum quartum ætatis, quod per Eclipsin solis, quam Capitolinus annotavit, fidem accipit, quæ hoc An. Christi 12. Aprilis visa fuit, adeò tetra & portentosa, ut nox crederetur, nec sine luminibus accensis quidquam agi posset, quod de alia Eclipsi quàm hujus anni memorati intelligi nequit. Anno U.C. 990. Christi 239no. ætatis decimo sexto Gordianus primùm Imperator creatus fuit. Anno U.C. 993tio, Christi verò 242do, Gordianus ipse & M. Aurel. Claud. Pompejanus Consules fuerunt & bellum Persicum natum est, ut ait Capitolinus. Additque his Consulibus & hoc anno Furiam Tranquillinam Mysithei filiam Gordiano in matrimonium convenisse, cùm annum ageret ætatis 19num. Et sequenti anno 994to U.C. Christi 243tio. C. Aufidio Attico, & C. Asinio Prætextato Consulibus cum uxore

Tranquillina ad Persicum bellum profectus fuit anno ætatis vigesimo, teste rursus Capitolino, ita ut nummus hic non ante annum Christi 244[tum] cudi potuerit, jam in Asiâ stante exercitu, & Augusto cum Augustâ, de quâ post A. C. 245[tum] & mortem mariti Gordiani nihil ampliùs legitur, nec in ejus honorem nummos quemquam excudisse, Philippo imperium tenente, facilè credimus. Et sic exibit annus orbis conditi 4385[tus], Urbis conditæ, 996[tus], & Christi nati 245[tus] quo Gordianus peremptus, & nummi Tranquillinæ præter propter ab incude prodierunt.

His ita præmissis quæ oculis subjici non potuerunt, occurrit jam τὸ χάραγμα, & ipsa moneta, quæ cùm duo latera habeat, primum est, quod imaginem Augustæ solam procusam accepit, à capite ad pectus usque dimidium, quales sculpturas Græci προτομὰς vocare solent. Est hîc Tranquillina fronte non vultuosâ sed apertâ & serenâ, facie modestâ & tranquillâ, oblongâ tamen, eò quod genæ non sint bucculentæ nec inflatæ, nec pendentes, sed quæ tenellis corporibus maximè conveniunt, ore brevi, labiisque nonnihil repandis, aures quoque nudæ prostant, cum & in auribus venustas sit, antiquis haud semel deprædicata, deinde collum elegans omnino, nec breve nimis

mis nec obeſum, reliqua tecta ſunt; ex vultu tamen & collo, inter delicatulas, tenellas, & juvenculas Tranquillinæ locum deberi, judicari poterit. Capitis integumentum ſunt crines, ſed adſcititii, quod unionum ſeries à vertice uſque ad cincinnos deſcendens & annexa, ac criſtatum veluti galericulum efficiens ſatis indicare videtur. Erat enim veterum fœminis illa ætate dedecori, ſuis capillis uti, non tam ob raritatem capillorum, quam ſi color non reſponderet lixivio, aut calamiſtro cincinnus.

Vetus erat illud artificium crines ſupponere & ſubornare, à Græcis ad Romanos delapſum, & apud hos excultum; ſed inter muliebria ornamenta recenſet hanc comam Suetonius in Othone c. 12. quem dicit fuiſſe *munditiarum penè muliebrium: vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret*, à veris ſcilicet capillis. Unde vides, quid nominis fuerit huic comæ, & quousque pervenerit ars, ut pari cum naturâ paſſu ambulare potuerit, quod hodierni *perruquarum* artifices nequaquam præſtare queunt, facilè dignoſcuntur *perruquæ*, ſic enim contigit hodie vocari hoc genus comæ, quod tanto ſtudio Galli Germanos docuerunt, ut cœtera muliebria; atque utinam muliebria manſiſſent, adulta jam facta ſunt & virilia tot vitia!

Eſt

Est igitur galericulus, & coma subdititia, quam capiti adaptavit suo Tranquillina, unde diligentiùs inspicienda venit, cum scriptores rei nummariæ hactenus vix attenderint, & impendere se talibus nimium quid existimarint. Haud tamen prætereunda putem, quæ in antiquitate possunt observari

Si totum illud gestamen, prout à fronte ad aures, & ab auribus ad cervicem porrigitur, hîc considero, nihil ibi natura suum habet, neque enim iis mæandris & anfractibus natura cujusquam capillos in capite componit, quales hic videntur, adoptivos non natos protinus exclamare oportet. Ad locum memoratum Suetonii doctè Casaubonus attulit, ut omnia: *veteres pelles quasdam parasse appositis crinibus humanis, sic ut aptata capiti cutis vera, non coma adscititia videretur.* Nostri ingeniosiùs profectò, reticulari modo texturam hanc capillorum efformare didicerunt, ut quasi ex poris ipsis singulos proficisci pilos credas, quibus artem tegunt, naturam imitantur. Subtilia atque textilia capillamenta Tertullianus omnium optimè dixit libro de cultu fœminarum, quasi seculo nostro vixisset: neque enim galericulum, galerus, coma adscititia, vagina capitis, operculum verticis, quibus rem explicat eodem loco, tantum comprehendit, quantum per subtile & textile capillamentum

nos

nos docuit. Nam quod Casaubonus dixit de pellibus, quibus crines humani insuebantur, haud equidem contradixero, vereor tamen ut illud ex antiquitate certâ probari & elici queat, sed ad alium usum istas pelles spectasse satis docemur, non ad ornatum capitis, sed ad illum defendendum, ne cum pulvere palæstræ nitidi & ornatissimi capilli conflictarentur. Ita Martialis l. 14. Epigr. 50. quod titulum habet *galericuli*, scribit:

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Istæ pelles crinibus humanis nequaquam consuebantur, sed hirsutas & hispidas, suis pilis animalium contectas relictas fuisse, & in galeæ vel galeri formam consutas alibi monet Martialis l. 12. Epigr. 45. ad Phœbum.

Hœdinâ tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemque calvæ,
Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Hœdina sanè pellis ex pilis dignoscebatur, ut γαλῆ ex mustellinis & felium pellibus, quæ galeæ & galero & galericulo nomen fecerunt, ut κυνέη ex canum pellibus & pilis, παρδαλέη, ex pardi pilis, κυνοδχος, pera ex canis pelle parata, & pilos suos insitos habens, quales peræ

ræ hirsutæ etiamnum in usu non esse desierunt. Videmus igitur, cui usui pelles iste fuerint, ad calvitiem tegendam, & capillos unctos, ne pulvere immundo conspergerentur, malè verò calvi tegerentur si pelle rasâ & glabrâ fuissent usi, sedisset enim calvus super calvum. Hoc itaque galericulum & hæ pelles huc non faciunt, ad ornatum scilicet capitis, sed Tertulliani sutilia & textilia capillamenta has perruquas fœminarum ornatissimas ob oculos pulcherrimè ponunt: quippe quod fœminis neque propter palæstram, neque propter calvitiem ejusmodi pellibus tegere caput usu venire potuit, quod rarò calvæ deprehendantur mulieres, rarò palæstram exerceant, sed alias ob causas comam sibi fingebant, ut deinceps dicam. Aliæ pelles erant cudones, inter galeas virorum positi, ut patet ex Silii l. 16.

——— *cudone comantes*
Disjecit crines ———

& apertiùs l. 8. vers. 98.

——— *caput his cudone ferino*
Stat cautum. ———

An ex Græco κώδιον, quod pellem ovinam significat, an à cute vel pelle, quasi *cuteones*, hæ galeæ nomen sumserint, hujus loci non est dis-

diſquirere: ſufficit dicere, inter galericula ex pellibus hirſutis, & cudones, hoc eſſe diſcrimen, quod cudones tegumentum capitis ſolidius & firmius deſignent, utpote ad vim arcendam telorum & gladiorum præparati, galericula verò molliora fuerint, ut in uſus alios deſtinata, quales ſunt hodierni pileoli, quos *calottes* vocamus, ſi pilis carerent. De galericulo Otthonis teſtantur omnes ſculpturæ & nummi, qui ſatis comatum Otthonem produxerunt, adeò ut pro Suetonii teſtimonio de raritate capillorum ejus ſervando, ſicut æquum eſt, nihil niſi galericulum capiti Otthonis adaptatum credere cogamur. De Otthonibus æreis loqui ſuperſedeo, cum poſt Chiffletium, an genuini dentur, adhuc ſub judice lis pendeat, ſed in argenteis nihil minùs ea capillorum occurrit copia, ut raritatem animadvertere nemo poſſit. Inſpiciantur icones Imperatorum Goltzii, & alii Nummographi, ſed nemo Dn. Triſtano curioſiùs hoc galericulum expreſſit, nam ut τριώροφον & τριϛοιχὲς ibi conſpicitur, in cirros perpetuos compoſitum, ita ut ex iſtâ figurâ facilè colligi poſſit, quale tunc fuerit galericulum virorum, ut ex Tranquillinæ nummo de galericulo fœminarum judicare licet. Non erat virorum eâ ætate in floccos adeò longos hanc comam promittere, prout hodie

fit;

fit; cirris admodum brevibus tota hæc absolvebatur textura, ſive natura comam formaſſet, ſive galericulum ſumſiſſent, quod omnes facilè docebunt Imperatorum nummi, verticem enim tegunt capilli, & partem cervicis, aures nunquam, ita ut imitando naturam galericula in eandem formam fuerint compoſita, quibus comparari queunt, quas hodie vocant *perruques d'Abbé* quamvis adhuc breviores veterum omnino fuerint. *Les perruques quarrées*, quas artifices appellant, & longiſſimos iſtos cincinnos, qui per genas in ſinum ipſum deſcendunt, neſcivit omnis antiquitas, paucis abhinc annis invaluerunt, & ad ingens patrimonium abliguriendum inprimis faciunt. Julii Cæſaris ætate nondum frequentatum hunc morem Romanis, ſed parcè omnino galericula talia & cum aliquo dedecore à civibus adhibita fuiſſe licet aſſerere, quod aliàs ipſe Cæſar, non abhorrens à mulieribus, opus habuiſſet, ſi quis alius, galericulo, ad calvitiem inſignem tegendam circa tempora & ſinciput, quam lauri hoc fine cumulatis foliis ſolebat occultare. Ideoque in ejus nummis ſæpiùs & artificium lauri ſpectatur, & totus calvus productus eſt. At de Cajo Caligulâ Seneca mentionem injicit, ipſum emendicatis capillis uſum lib. de Conſtant. Sapient. *Tanta capitis deſtituti & emendicatis capillis adſperſi deformitas*:

mitas: eleganter, *adſperſi*: nam indicat hoc verbum, quale & quàm breve fuerit illud galericulum, ut antea monuimus. Quò quoque reſpexit Tertullianus, qui *vaginam capitis*, & *operculum verticis* vocavit, quod non niſi ſummum caput galericulo indueretur, uſque ad cervices, cæteris partibus anteriùs intectis tam in viris quàm fœminis, nec *calceatum caput* apud Martial. aliò ſpectare videtur, quàm ad breve capillamentum ejuſmodi, prout in pellibus Animalium reperiuntur pili.

Fœminas licet longioribus capillis natura dotaverit, haud tamen ſolitæ ſuerunt effuſis uti, niſi raró: ſemper illis

—— *poſitæ arte manuque comæ*.

ut alicubi dixit Ovidius, hinc in tot nodos & formas colligebantur, ut recenſeri nequeant, ſed neceſſe fiat ad picturas, ſculpturas, imagines & nummos inſpiciendos recurrere, videbis profectò, Pratei more mulieres in capillis ornandis verſatas fuiſſe, omnes colores, omnes formas placuiſſe, illam hâc, alteram aliâ ratione capillatam prodiiſſe. Tertullianus, qui circa Annum 230. vixiſſe ſcribitur, & potuit ad ætatem uſque Tranquillinæ pertingere, qui in cultu fœminarum ſutilia & textilia capillamenta connotavit, audiendus eſt omnino. Lo-

cus eſt valde ſingularis, ideoque hic adducatur oportet: *Affigitis*, inquit, *præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum.* Ex Tranquillinæ galericulo in hoc nummo liquet, quid per capillamenta in galeri modum conſuta velit; nam ut galea virorum militarium capita tegebat, à fronte retrò uſque ad cervicem, quod nummi alii, & capita galeata, quæ paſſim in nummis reperiuntur, ad oculum commonſtrant; ita quoque galerus & galericulum, virorum & fœminarum capita tegebat. Deeſt tamen in hoc nummo Tranquillinæ frontiſpicium galeæ & galeri, quod non minùs adhibere ſolebant fœminæ, in galericulis ſuis, & ſuppleri poteſt ex nummis aliis, ex nummo, ſcilicet, æreo Liviæ Druſillæ n. 9. Vipſaniæ Agrippinæ, Tiberii uxoris n. 31. Liviæ Medullinæ n. 39. Antoniæ, Claudii filiæ ex Petinâ n. 41. & 42. Juliæ Agrippinæ, n. 45. & 46. Octaviæ Neronis n. 49. Juliæ Domitiani uxoris n. 74. & 75. Plotinæ Trajani n. 80. & 81. Marcianæ ſororis Trajani, n. 82. Matidiæ, Marcianæ filiæ, n. 83. Sabinæ, Hadriani uxoris n. 86. 87. Fauſtinæ n. 93. 98. Juliæ Soœmidis n. 128. Juliæ Mamææ, n. 129. 145. 146. Anniæ Fauſtinæ Helio-

liogabali, n. 138. Juliæ Mæſæ, n. 141. 142. & Tranquillinæ noſtræ n. 163. apud Octav. de Strada in vitis Imperatt. diligentiſſimum Scriptorem, & apud alios Nummographos, in quibus ejuſmodi frontiſpicia vel vittas galericulis additas reperies, ſi lubet inſpicere. Nemo ex Nummographis hactenus iſtam rem tetigit, quos ego quidem vidi, nec nomen ullum ex Antiquitate huic frontali dederunt. Hinc eſt, quod ego frontiſpicium, frontale & vittam vocaverim. Vittæ nomen antiquum eſt in Veſtalibus, Sacerdotibus, Auguribus & ejus generis hominibus ſatis notum: ſed ejus formæ non fuiſſe vittas has crinales facilè iis perſuadebo, qui nummos unquam inſpexerunt. Vittas crinales me docet Virgilius l. 7. Æn. verſ. 403.

Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.

Ita quoque Ovid. l. 4. Metam. v. 5. — *crinales ſolvere vittas* dixit; uterque in Bacchi ſacris peragendis hoc fieri voluit. Sed nemo quid fuerit vitta crinalis explicavit; ſanè non illa vitta longa, alba, lanea, ſacerdotalis, nec vittæ victimarum, nec vittæ altarium, quæ nimis longæ & ſacræ intelligi hîc nequeunt, ſed vittæ virginum & matronarum quotidianæ, quibus ad crines revinciendos utebantur & pudicitiam indicandam, ideo crinales dictæ, ideo in fronte poſitæ,

 ut

ut pudicitiam in fronte ſe gerere non occipitio vel calcaneo judicarentur. Has illas vittas crinales eſſe, quas jam ex tot nummis in fronte Auguſtarum obſervavi, quis ampliùs dubitare poſſit? ſi verò ſcrupulus adhuc hæret, inquirant attentiùs, ferre poſſum me rectiùs doceri. Vittæ Sacerdotales non in fronte aut circa tempora, ſed ab occipitio uſque ad humeros circumfuſæ fuerunt. Et quod plerumque in plurali numero vittas ſcriptores extulerint, hinc eſſe puto, quod multæ partes unius vittæ fuerint, nam & faſcias & tænias adpendentes, quibus vittam capiti circumligabant, eo nomine comprehenderunt, ut ſic ſimul omnia vittas vocaverint, vittam verò propriè partem illam, quæ in fronte proſtat quò ſpectare videtur illud Virgilii 7. Æn. v. 352. ubi de ſerpente dixit per omnia membra reptante

——— ——— ſit tortile collo
Aurum ingens coluber, ſit longæ tænia vittæ
Innectiſque comam ———

Nam tæniæ dicebantur pars illa, quæ à nodo facto ad cervicem dependebat libera, faſcia verò, quæ à vittâ utrinque caput circumdabat uſque ad nodum. Albæ num hæ vittæ fuerint & laneæ, ut ſacerdotales, haud auſim aſſerere; cœruleas vittas apud Virgilium,

pur-

purpureas apud Senecam in Thyeste memini me legisse, ferales quoque vittas pulli coloris exstitisse, aut proximè accedentis non putarim ambigi posse. Laneas non solùm sed & sericas videtur suadere Romanarum Matronarum in cultu capitis luxuria; cum vittas hujusmodi gemmis pretiosis & margaritis exornarint. Videatur Faustinæ nummus æreus apud Octav. de Strada n. 98. ubi fasciam crinalem margaritis superiùs & inferiùs circumdatam deprehendes. Huc facit lex 25. D. de auro argento legato. Ubi vittæ margaritarum disertè nominantur. *Vittæ margaritarum*, ait, *& fibulæ ornamentorum magis sunt quàm vestium*; In nummo Tranquillinæ, quem præ manibus habemus, apparet talis fascia & vitta, quam cristam potiùs appelles, quod non caput circumdet & tempora ut in cæteris nummis, sed ut crista in galeis à vertice ad cervicem pergat super caput medium. Margaritis totam videmus obsitam illam fasciam & vittam, est enim vittæ loco; & fascia quævis vitta dicitur antiquis, quod à viendo & vinciendo nomen traxerit. Quidquid igitur ad coërcendos & subligandos capillos facit, vittam vocari non abs re fuerit aut inconveniens. Idcirco leves & tenues vittas Ovidius quoque dixit, quod serica magis efficiunt quàm lanea. Sed in his faciles sumus,

 sive

ſive laneas quis velit ſtatuere vittas, ſive leviores, non multùm pugnabimus.

Diſcrimen quoque in vittis his crinalibus oſtendunt nummi, nam aliæ longiores apparent, aliæ breviores; Longiores totum caput circumdare conſpiciuntur, ut in nummo Liviæ Medullinæ n. 39. apud eund. Octavium de Strada, & Antoniæ n. 41. & Octaviæ n. 49. & propriè non tam vittæ quàm Suffibula dicebantur, quæ Feſtus deſcribit. *Suffibulum*, inquit, *veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales, cum ſacrificant, ſemper habent, idque fibulâ comprehenditur.* Ut quare ſuffibulum appellatum ſit, hinc pateat, monſtrantque id nummi plurimi, in quo loco fibula coërcuerit hanc vittam longam, ſcilicet, ne nimis fluctuaret, ſi ventis exponeretur. Breviores non niſi frontem cohoneſtant, vel non ulteriùs videntur progredi, capillis forſitan obtectæ, ut in cæteris nummis Auguſtarum paſſim. Alias vittas crinales ut inverſas ſpectare licet in nummis Plotinæ n. 80. & 81. raro exemplo. Alias Auguſtas duplici vittâ conſpicuas producunt nummi, ut n. 86. Sabinam Hadriani uxorem, cui conſentiunt aliæ quoque apud Triſtanum. Sed ejuſmodi galericula mitras potius appellare ſoleo, quod cum vittis crines in mitræ formam aptatæ ſint.

ſint. Et ſic intelligenda l. 25. De aur. argent. leg. D. ubi Ulpianus ait. *Ornamentorum hæc vittæ, mitræ, ſemimitræ, calantica, acus cum margaritâ, quam mulieres habere ſolent.* Nam mitra forte integra dicebatur, quando vitta totum caput ambibat, & ſtruem ingentem capillorum in vertice complectebatur: ſemimitra verò, quando ad aures ſolùm pertingebat vitta, & capillos in mitellæ modum ſuperintextos habebat. Occurrit adhuc aliud diſcrimen, ubi loco vittæ in galericulis, cornu parvulum ſupra frontem ſe exſerit, quo crines ſuſtinentur, quod genus vittarum non ante Fauſtinam minorem in nummis obſervare potui, apud Oct. de Strada n. 93. ſecutæ ſunt illam hoc exemplo, Julia Domna n. 122. Mæſa n. 141. Julia Mamæa n. 146. Marc. Otacilia Severa n. 168. & aliæ. Acum vellem explicare, ſed minùs hoc placet, quod pars acuminata extrorſum tendat, & ſurgat, nec in fronte acûs muliebris uſum aliquem ſciam, ſed potiùs in poſticâ parte, quò crines plerumque confluunt, & acu coërcentur. Peculiare igitur hoc eſt, & criticâ Nummographorum dignum; ego in hac cauſa ampliandum mihi duxi, & indicaſſe, puto, ſufficit. Si quis exemplum deſiderat, ubi cum vittâ crinali & matronali concurrit vitta ſacerdotalis inſpiciat nummos Antoniæ n. 41. & 42. a-

pud Octav. de Strada, & videbit eam instar Deæ Pietatis velatam vittâ sacerdotali, & instar Matronæ, vittâ crinali. Addere his lubet crinale virorum, nam & illi fasciâ capillos religabant, vel bracteâ, unde *curvum crinale* vocatur Ovidio, de quo in nummis Græcis, præsertim veteris ævi ad oculum docemur. Jam verò redeundo ad galericulum Tranquillinæ, considerandum venit, quod crines illi à fronte ad aurem uno eodemque ordine pergant, affectatum nimis & factitium esse: nam natura sine lege dedit oberrare crinibus, non à vertice ad aurem cogi, quod hic fit: post aurem fluitare non nihil occipiunt capilli usque ad cervicem, quod illic longiores capilli sint intexti, ad cirros & cincinnos effingendos, prout in fine hujus galericuli ad cervicem videre licet, ubi magis flexi sunt capilli, sed cum dico flexos, ad pectinem flexos volo, nam aliud erat calamistris flectere, quod hic non congruit. Græci *πλοκάμους* optimè vocarunt convolvulos istos capillorum, quos natura facit aut pectem. Notanda quoque fractura vel plica capillorum supra aurem, qui à fronte descendunt, ibique finiunt, quibus deinde subtexuntur illi longiores, sed ita ne aurem tegant; nam aurium venus etiam observata veteribus & valde grata fuit, quas sæpius baccis & elenchis ornabant,

bant, hic tamen non adſunt. In vertice hujus galericuli, ubi criſta vel vitta incipit, prominent ramuſculi, qui ſunt vel palmæ vel olivæ, ſic enim ſolebant veteres Matronæ luxuriam & libidinem in capite quoque caſtigare, ut raro coronas ſumerent ſicut viri, ſed ramuſculis contentæ comparebant *bouquettez*, Gallorum more, quod Virgilius oſtendit in Junonis Sacerdote l. 7. Æn. vers. 417.

> ——— *induit albos*
> *Cum vittâ crines: tum ramum innectit olivæ.*

Quid itaque ſit galericulum fœminarum nunc conſtat, & ex tot nummis morem hunc comam adoptivam ſumendi fœminis fuiſſe frequentem & celebrem evincitur. Raro enim in propriis capillis fœminas potentiorum ſpectare dabatur, in ſutilibus & textilibus capillamentis omnes ferè: qua occaſione quærere poſſemus, num Tranquillinæ galericulum, quod videmus, ex ſutilibus ſit, an ex textilibus? licet enim conſuta & contexta ſæpius coincidant, haud tamen Tertullianum fruſtra diſtinxiſſe credendum fuerit: nam textilia capillamenta videntur ea fuiſſe, non ſolùm quæ textoria quadam arte compacta reperiuntur, qualia ſunt illa reticula omnia, quæ *Haarhauben*

ben Germanis adhuc vocantur, ſed etiam ea textura illuc pertinet, quæ licio non fiebat, manibus verò digitiſque implexa, galericulum efficiebat, cùm ingeniosè conſuebatur. Latinis deeſt vocabulum, quo texturam ejuſmodi ſignificent, Græcis dicuntur τριχοπλέγματα, Gallis, *des treſſes*, Germanis *Flechten*. Tricas Latinè poſſes reddere, nam, quod rectè monet, Voſſii Etymologicon omne quod implicatur & intricatur tricarum nomen haud reſpuere credit. Neque verò tricas ego ex Græco τρίχες derivandum cenſeo, ſed ex trinis quæ contriplicantur rebus, quæ propriè tricatæ, perplexæ, & impeditæ vocari queunt. Rectè igitur Galli capillos tribus floccis implexos *des treſſes* dixerunt, nam ejuſmodi capillorum tricas elegantiſſimè diſpoſitas in galericulis Fœminarum obſervare licet, inprimis in nummo Juliæ Titi filiæ n. 70. & 74. & Domitiæ, n. 73. tum aliâ & aliâ ratione in nummis ſequentium Auguſtarum, quas ego Tertullianum præ primis per textilia capillamenta ſubindicaſſe credo: unde liquet Tranquillinæ noſtræ galericulum ex ſutilibus fuiſſe non ex textilibus, nam neque tela apparet ulla, aut ars textoria, aut tricæ & πλέγματα dicta, ſed in galeri formam capilli diſpoſiti & conſuti caput circumdant, ita ut nunquam

quam textilia ſine ſutilibus fuerint, inſuebantur enim texta & plexa, & cirri, & quæ huc pertinent; merè ſutilia verò ſine textilibus ſæpe capillamenta nobis antiquitas commonſtret. Nam prout in meo nummo Tranquillina in ſutili galero comparet, ita apud Octav. de Strada in textili, n. 163. & cum vittâ. Si porrò Tertulliani illud, quod ſequitur, *retrò in cervicem ſuggeſtum*, inſpicere cupimus, etiam hîc nummi multi præibunt, inprimis Criſpinæ n. 106. Lucillæ, n. 103. Fauſtinæ minoris & præcedentium, quæ potiùs ſuggeſtis capillis quàm galericulis, aut in galeri modum compoſitis, uti conſueverant. Huc ſpectat Greg. Nazianzeni Elegia, qui circa A. C. 370. vixit, dum ait:

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοισι γυναῖκες.

nam ſuggerebantur ſæpe in turriculas capillamenta fœminis, ut itidem ex nummis adducere poſſem ſed quia in oculos incurrunt, oculis hæc res potiùs relinquenda, ne nimis prolixus ſim.

De causâ paucis adhuc tangam, quæ fœminas impulit galericulis & ſuggeſtis capillamentis potiùs uti quàm ſuis: hæc erat nigricans ille capillorum color, nativus & perpetuus ferè

Ro-

Romanis, qui ipsis sordebat & ingratus erat, ac nimium vulgaris, unde rutilantes & flavas expetebant comas, *cendrez*, *argentez*, *blonds*, ut efferunt Galli, quibus ut placerent & semet ostentarent fœminæ, in hoc vitium prolapsæ sunt, ut galericula coloris albicantis & flavescentis in capillis passim adsciscerent. Unde Juvenal. Sat. 6.

——— nigrum flavo caput
abscondente galero &c.

& Avienus, qui claruit Theodosii Imp. ætate hoc exprimit apertiùs:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Discolor appositâ quæ fuit ante comâ.

ut nihil dubitari possit etiam discolorem comam ideo Tranquillinam adhibuisse, ne nigricantibus nativis ridendam se præberet. In dicandum denique super est, imaginem Tranquillinæ ex nummis apud Jacobum de Strada imposturam suam olere, nullum enim ejus nummum Stradam vidisse certum est, qui nullum adduxit, at si inspexisset, facilè non hoc ornatu capitis Tranquillinam in nummis ullibi prostare penitus intellexisset. Transeat igitur & hoc cum cæteris, quos nobis vendidit fumis ille Strada.

His

His dictis de habitu Tranquillinæ, etiam alia dicenda fuerint ad ipsam spectantia: & Misithei filiam fuisse, Viri doctissimi & prudentissimi nemo non novit, sed historia Augusta veteris ævi ne nomen quidem hujus Augustæ nobis reliquit, ideoque inscriptiones & nummos de Tranquillinâ loquentes eò cariores existimare oportet, quò sunt rariores. Etiam Misithei Parentis celeberrimi nomen suos passum fuit manes, nam μυσιθέȣ, nomen nimis ominosum & grave haud ipsi impositum fuisse rectè censet Salmasius, & cum judicio, sed Μυσιθέȣ, quod reddendum esset latinè non Misitheus, sed Musitheus, nam ita μῦς, mus: μῦα musca: μύζην, mussare: μυκᾶν, mugire: facta sunt. Ut sit Μυσίθεος non qui Deos odit, sed qui colit in ipsis adytis & penetralibus reponendo ac claudendo, nam cum μύειν & μύσαι sit claudere, Μυσίθεον latinè posses explicare Æditumm Deorum. Quid si dicamus μησίθεον vocatum fuisse à μήδομαι, quod est curo, & in Aoristis ac Futuris μήσω, μήσατο, μήσομαι &c. Flectitur, quâ ratione Misitheus Curator Deorum vocabitur. Jam verò latinis frequens est, inprimis posterioribus, literam H. per I. latinum efferre, ut postea distinctius dicam. Et sic in Misithei nomine nihil mutandum veniet modò rectè intelligatur. Tranquil-

quillinam ejus filiam Furiæ prænomen habuisse, ex hoc nummo, quem nunc explicamus, liquet, ubi sic legitur: ΦΟΥΡ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ ΣΕΒ. seu Furia Tranquillina Augusta. Circa Furiæ nomen illud notandum occurrit, Sebastianum Erizzo legisse in nummo quodam Trinquillina ΦΡΟΥΡ seu Fruria, ita quoque Dn. de Tristan in altero nummo Tranquillinæ *t. 2. p. m.* 548. quod ideo Typographicis mendis adscribere vereor, ne ambos hos Scriptores aliàs diligentissimos parum vidisse quis credat. Haud dubito in ipsis nummis ita sculptum & lectum fuisse, ut monetarii sculptoris ἀβλεψία increpanda potiùs videatur, non scriptorum. Dixi enim jam ante, sculptorum & monetariorum ἀκρίβειαν hoc seculo multùm descivisse à prioribus, ut facilè sculptori literam aberrasse contigerit, ΦΡΟΥ, pro ΦΟΥΡ, ponendo. cum in eodem nummo Tranquillinæ apud Erizzo reperiatur ΤΡΩΑΛΛΙΩΝΩΝ pro ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. Verum igitur nomen est Furia, nam sic in omnibus inscriptionibus & nummis ferè constanter vocatur, præterquam quod Fruriæ nomen in Antiquariorum libris ignoretur. Præter Furiæ, nomen etiam Sabinæ vel Sabiniæ gessisse Tranquillinam, ex aliis ejus Augustæ nummis constat. Ita num-

mus Triſtani t. 2. p.m. 547. non dimidiatis aut tertiatis vocibus, ſed omnibus literis expreſſis SABINIÆ nomen profert. Utrumque nomen Furiæ Sabinæ conjungitur in nummo apud eundem ſequenti Græco, p. 548. quem Epheſiorum civitas ejus honori dicavit. Ita quoque in Trallianorum nummo apud Erizzo, ut diximus, eſt Furia Sabina, licet in Græco ſemper ΦΡΟΥ. ΣΑΒ. legatur. De nomine Sabinæ nobis movit controverſiam ante aliquot annos Mr. Hevin Advocatus Parlamenti Britanniæ, qui inter ſex mille nummos Gordiani tertii duos tantùm reperit cum Tranquillinæ nomine, ubi SABINIA, non SABINA vocetur. Ante ipſum, fateor, hoc obſervavit nemo, ideóque ipſi credimus in negotio, quod diligentiùs cæteris inſpexit, & rectè manibus ac oculis uſum confidimus. Non eſt quod obducam Tranquillinæ nummos apud Dn. de Triſtan, & Inſcriptiones additas, ubi SABINA perpetuò legitur, nam facilè punctum aut literam in nominibus notis tranſimus, cum Sabinæ nomen frequentius ſit in ore antiquariorum, quàm Sabiniæ. Nec Gruteri inſcriptionem p. 1085. n. XI. à Sirmondo miſſam & Romæ exſtantem opponam, in quâ FURIÆ SABINÆ &c. legitur, ſed adducam inſcriptionem ex opere Thomæ Reineſii n. 26. p. 54. quæ ſic ſe habet. J.O.M.

J. O. M.

JVNONI REGINÆ. MINERVÆ. PRO SALVTE M. ANT. GORDIANI. P. F. AVG. ET SABINIÆ TRANQVILLINÆ AVGVSTÆ. L. LÆL. TERENTIANVS DEC. COL. ÆD. PRÆF.

Hæc inſcriptio Claudiopoli in Tranſylvaniâ viſitur, & habet diſertè nomen SABINIÆ, non SABINÆ. Nihilominus tamen Reineſius in explicatione huic inſcriptioni junctâ non Sabiniam, ſed Sabinam maluit appellare, & in indicem eodem Sabinæ nomine illam retulit, quod & peccavit Dn. de Triſtan in primo nummo Tranquillinæ, ubi diſertè totidem literis SABINIA TRANQUILLINA AUG. in ipſo nummo curavit exprimi, nimirum quod ita nummus loquatur quem vidit, in textu tamen Sabinam ubique nobis ingeminat; ut conſtet minutias iſtas non attendere ſemper Viros doctos, quemadmodum apices Juris & minima non curat Prætor. Jam cum tot inſcriptiones & nummos quoque SABINAM legiſſe videamus, ſculptores etiam & monetarios antiquos de literulâ in nominibus

bus vel addendâ vel demendâ non admodum ſollicitos fuiſſe varia poſſent allegari, inprimis ætate Gordiani & Tranquillinæ, quæ incurioſior fuit in talibus accurandis, utrumque verum eſſe poterit, à nonnullis Sabinam, ab aliis Sabiniam dictam, ſcriptam, & ſculptam fuiſſe Tranquillinam & parùm puto referre, cum eodem ſemper res recidat, Sabinam ſcilicet aut Sabiniam noſtram appellatam, nec ignotum veteribus Sabiniæ nomen planè fuiſſe; exſtat enim præter hanc Sabiniam Tranquillinam in inſcriptionibus SABINIA JUSTINA apud Gruterum p.659. n.XI. Romæ in Salvator. In Juliâ Notandi verò veniunt Typographi, qui in indice Reineſiano T. Sabinium Arrium nobis excuderunt, cum in ipsâ Inſcriptione ſit T. SABINUS ARRIUS.

Supereſt Tranquillinæ nomen, quod quoque rarum eſt, & in totâ antiquitate Romanâ, non niſi in Gordianorum familiâ & affinitatibus notum, nam FLAVIA VALERIA TRANQUILLINA Gordiani ſenioris Africani uxor, ut vult Reineſius, ex inſcriptione unicâ & ſolâ apud Gruterum innotuit, in nummis nondum apparuit, & in omni antiquitate nuſquam unquam ejus occurrit memoria. Haud poſſum aſſentiri Dno. de Triſtan, qui Flaviam Valeriam Tranquillinam eandem eſſe credidit cum

noſtrâ Tranquillinâ, nam ſi fuiſſet, & nummi & inſcriptiones, quæ magno numero de Furia Sabinâ Tranquillinâ loquuntur, etiam Fl. Val. Tranquillinæ aliquando meminiſſent, & indicia, ex quibus identitatem, ut ita loquar, colligere poſſemus, ſubminiſtraſſent. Sed neque ſatis conſtat Fl. Val. Tranquillinam Gordiani Senioris Africani conjugem fuiſſe, nullâ ratione additâ cur ita ſtatuerit, hoc conjectaſſe Reineſium exiſtimo. Ex Capitolino liquet, Fabiam Oreſtillam, Antonini proneptem, uxorem Gordiani ſenioris fuiſſe, ex quâ Gordianum juniorem Africanum ſuſceperit: de Flav. Valer. Tranquillinâ in hiſtoriâ Auguſtâ altum utique ſilentium, & tamen Auguſtam fuiſſe dicit inſcriptio, & quidem Gordiani Auguſti conjugem, ſed cujus? non Gordiani junioris, nam is ſine uxore legitimâ voluit vivere, at ex concubinis quatuor filios reliquit, teſte Capitolino: non Gordiani tertii, nam is Miſithei filiam duxit, quæ perpetuò Furia Sabinia Tranquillina nominatur, nunquam Flavia Valeria: ergo fuerit Gordiani Senioris, neceſſe eſt, nam plures Auguſtos Gordianos nemo novit: Et octogenarius cum fuerit, quando Imperator Auguſtus ab Afris dictus fuit, non alienum eſt duas uxores ipſi tribuere Fabiam Oreſtillam, & Flav. Valeriam Tranquillinam,

inter

inter quas Oreſtilla prior ſit, Flavia Valeria poſterior: nam Oreſtillam nullæ inſcriptiones, nulli nummi celebrant, quod tunc Gordianus Auguſtus non eſſet, at Flaviam Tranquillinam inſcriptio memorata prædicat, & inter Auguſtas collocat, unde colligitur illam vixiſſe, cum Gordianus Proconſul Africæ Imperator & Auguſtus pronunciaretur. Neque repugnat hiſtoria Capitolini, Fabiam Oreſtillam conjugem Gordiani Senioris fuiſſe ſcribendo, cum non impediat ſecundum matrimonium ex Fab. Oreſtillâ Gordianum juniorem natum eſſe: nec ſequitur, quod Capitolinus de ſecundo matrimonio nihil dixerit, ideo non niſi conjugem unam fuiſſe, multa enim præteriit Hiſtoricus, qui omnia compendio ſcribere voluit. Obſtare poſſet nummus Fabiæ Oreſtillæ aureus quem in ſchedis meis mihi notavi, cum JVNO REGINA, ſed ubi viderim aut unde deſumſerim jam non ſatis memini; licet autem hunc nummum inter valdè ſuſpectos ponere, quod illam adhuc vixiſſe cum Gordianus Auguſtus factus eſt, nemo dixerit, nullum monumentum hactenus exſtet, quod de Oreſtillâ loquatur, ut Auguſtâ, nummi verò non reperiantur cuſi, niſi pro Auguſtis & Cæſaribus, Principibus Juventutis, & domum Auguſtam proximè tangentibus fœminis:

Hinc eſt, quod hunc Oreſtillæ nummum in officinâ minùs probatâ natum exiſtimem, & conſarcinatoribus nummorum imperitis tranſcribam, quales multi ſeculo noſtro prodierunt, qui lucri causâ nummos antiquis nominibus implent, quos nulla vidit aut ſcivit antiquitas. Sed & aliud indicium nunc dabo ex ipsâ inſcriptione Flav. Val. Tranquillinæ Auguſtæ illam ad Gordianum tertium non ſpectare, quin potiùs ad Gordianum ſeniorem Africanum, trahi debere, quotquot enim inſcriptiones exſtant de Gordiano tertio & Furiâ Sabinâ Tranquillinâ, conjuge ejus, ſemper additum reperies CONIVGI DN. NOSTRI M. ANTONII GORDIANI. &c. at in hac inſcriptione Flav. Val. Tranquillinæ, illud DN. NOSTRI M. ANTONII. abeſſe videmus, ſic enim illam protulit Gruterus ex ſchedis Anto. Auguſtini p. 272. n. 7.

FLAVIÆ VALERIÆ TRANQVILLINÆ AVGVSTÆ CONJVGI IMP. CÆS. GORDI. PII. FELI. AVG. ORDO MILITVM FLOPIANI ILLIBERITANI, &c.

Ubi quoque notandi tituli IMP. CÆS. quos neque in inſcriptionibus Gordiani tertii repe-

reperire licuit, nuſquam enim ille Cæſar vocatur, niſi in inſcriptione ſolâ Romanâ apud eundem Gruterum p. 1085. n. XI. & fortè alibi; ſed ut adſit quoque M. ANTON. GORDIANI. Nam & illud diſtinguit Gordianum tertium à Gordiano ſeniore, quem κατ' ἐξοχὴν GORDIANVM ſine nomine & prænomine vocavit inſcriptio, quod tunc de tribus Gordianis Auguſtis futuris nihil ſcirent, & ſolus Gordianus ſenior inclyti nominis & præclarè meritus eſſet. Dum Granatæ in Hiſpaniâ Bœticâ & alibi Gordianum ſeniorem Auguſtum factum inſcriptionibus ſuis coluerunt, hoc indicat verum eſſe quod dixit Capitolinus, *ipſum plurimis provinciis ante præfuiſſe*, nam exinde colligere licet Hiſpaniæ Provincias cum aliquando rexiſſe, quò etiam ſpectat altera inſcriptio in Britanniâ apud Cumberlandos Camdeno teſte, p. m. 599. licet mutila:

J. O. M. OB HONOREM . . .
VXORIS GORDIANI. . . .

Quo nullus alius ſignificatur quàm Gordianus ſenior ejuſque Conjux, & arcu ejuſque inſcriptione honaratos illic eos eſſe ob benè geſtam Provinciam quod de Gordiano tertio dici nequit qui nunquam in Hiſpaniam venit, ſed

puer adhuc Cæſar factus, paulo adoleſcentior Auguſtus Romæ à Senatu pronunciatus primam expeditionem per Daciam & Thracias in Aſiam contra Perſas ſuſcepit, unde nata illa In criptio Claudiopoli, quam ſuperiùs attulimus ex Reineſio, & tot aliæ, quas civitates peragrando ſibi & ſuæ Tranquillinæ promeruit. Et quoniam ob Furiam Sabinam Tranquillinam Auguſtam hæc afferre cœpi, non multum aberrare me poſſe credo, ſi Tranquillinæ nomen à Flav. Val. Tranquillina Auguſtâ Furiæ Miſithei filiæ ſtatuam hæſiſſe, & ob rationem aliquam affinitatis aut cognationis ita placuiſſe, ut in familiam Miſithei Tranquillinæ nomen adſciſceretur. Nihil enim impedit hoc credere, donec melioribus argumentis edoctus vel ipſe me corrigam, vel rectiùs moneant alii, non puto, fruſtra quis dixerit eſſe Tranquillinæ nomen in ſolâ Gordianorum & Miſithei familiâ hactenus legi, cauſam ſubeſſe, cur ita factum ſit facilè quis concedet, mihi illud εὕρηκα ἢ εὐστοχεῖν tribuere nolo. In inſcriptione quam Dn. de Triſtan produxit, ſive in Angliâ ſive in Africâ reperiatur, nam apud Cambdenum quem allegat, non inveni, SABINÆ FURIÆ TRANQUILLÆ nomine Auguſta noſtra ponitur quam μετάθεσιν facilè ignoſcimus Criſpino alæ Gordianæ Præfecto, qui longe

diſſi-

diſſitus, & in barbaris provinciis militans, neque tabellarios ſatis certos neque Sculptores idoneos reperit. Goltzius alicubi TRANQUILLIANAM quoque vocavit ex nummis, niſi mendum ſubſit, & Tranquillinam ſcripſerit.

Illud quoque notandum in noſtro nummo eſſe TRANKYΛΛINA utut Goltzius ſemper in nummis legerit TRANKYΛΛEINA, ſicut etiam Dn. de Triſtan; ita quoque Sabinam Σαβεῖνα ſcripſerunt, & Fauſtinam ΦAYΣTEINA, & tempori Adriani Aug. BEIΘYNIA, BIΘYNIA in nummo Claudii, ita IΩTEPA & ϹΩTEIRA in antiquis Græcorum nummis exſtat: AΓRIΠΠEINH & AΓPIΠΠINA, MHTPOΠOΛITΩN & MHTPOΠOΛEITΩN. ANTONEINOΣ & ANTΩNINOΣ, APIMEINEΩN & ARIMINEΩN, AΘHNAIΩN & AΘENAIΩN, in nummis Auguſti XAΛKHΔONIΩN. ΛAOΔIKAIΩN & Λαοδικέων in nummis Antonini Britannici. NEIKOMHΔEΩN, in nummo M. Aurelii, Νικομηδέων in nummis Auguſti Severi, & ALBINI. Νικόπολις in nummo Auguſti, Νεικόπολις in nummis Titi, Hadriani, Juliæ piæ, Plautillæ, Antonini Pii Φοινικίων in nummo Veſpaſiani, Φοινεικαίων in nummo Trajani. σελυκέων & σελευκνιτῶν. At ζαλ⊙ σοφιςαὶς pro σοφιςῆς in nummo M,

 Aurelii,

Aurelii. Σευηρεια in nummo Severi ex Latino *Severia*, quod ludos indicat Severi. Atque hîc locus esset de pronunciatione Græcæ Linguæ vetustâ & recensiore prolixius aliquid dicere, sed nolo diffundi, ne nimis extra oleas vagatus videar. Illud tantùm monebo, jam tempore Hadriani, & priùs, istam pronunciationem, ubi H & EI tanquam I. Latinum efferuntur, apud aliquas nationes Græcorum invaluisse, haud tamen apud omnes, & instar Dialecti peculiaris observatum hoc esse, quod ex nummis non solùm patet, quorum ingentem numerum proferre possem, præter illa, quæ speciminis loco dedi, si hoc opus, hic labor esset, verùm etiam qui populi & quæ civitates hac pronunciatione sint usæ, vel secus, ex iisdem nummerorum inscriptionibus Græcis optimè quis deducere posset. Veterem pronunciationem illam censeo, ubi H Græcorum ut E Latinum, & Paulò clariùs efferebatur, diphtongi ore pleno sonabant: recentiorem, ubi H. in I. transiit Diphthongi in E, & I, & U. transierunt: Germenses sanè in Propontide, qui nummum hunc procuderunt, non hac ratione scribendi usos fuisse liquet, aliàs Τρανκυλλειναν posuissent non Τρανκυλλιναν, cum eadem sit pronunciatio, alia solùm scriptio, ut patet ex alterâ parte nummi, ubi legitur Αρισουεικου,

quod

quod pronunciatur Αρισονικου & sic scribi debebat, est enim à νίκη, *victoriâ*, nomen desumtum, sed curante Aristonico monetam apud Germenses, qui fortè nationis alterius erat, ubi alia pronunciatio vel scriptio obtinebat, in nomine suo nihil voluit mutari à sibi solitâ scriptione. Longè tamen priùs Diphthongorum pronunciationem mutatam esse constat quàm literæ H. quod ex Apostolorum ætate & N. Test. scriptis observari potest, ubi I. litera plerumque Græcè per ει. Profertur, H. verò per E. antiquo more. Ita Eliakim Ελιακείμ: Nephtalim Νεφθαλείμ; Jesse, Ιεσσαί. Achim, Αχείμ. Nazarenus, Ναζωραῖος, &c. contra verò Jesus Ιησοῦς. Joseph, Ιωσήφ. Emmanuel, Εμμανουήλ. Joannes Ιωάννης. eremus, ἔρημος. Obed, Ωβήδ, & similia: David verò non Δαβήδ sed Δαβίδ legitur & pronunciatur, ita ut Diphtongorum pronunciatio mutata per Græciam adscribi debeat Romanorum coloniis eò transmigrantibus, ab eo tempore, quo Romanorum Imperium super Græcos invaluit, & linguam Græcam Latino more pronunciarunt. Latini enim αι. & οι. diphthongos per E. & I. extulerunt. Exstat exemplum in nummis Augusti urbis Cæsareensis, quæ perpetuò in nummis ejus Græcis KAICAREIA scribitur, in Latinis

CÆSAREA. Sed in Antonii Triumviri nummis EI non apparet apud Goltzium, ubi est ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ & ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙΣΑΡΕΑΣ. at ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ & ΚΑΙΣΑΡΙΩΝ in nummis Macrini & Otacillæ. ſaltem ut indicem, quomodo pronunciatio in unâ voce ſæpe variaverit; eſt enim ex veteri pronuntiatione Cæſaréa, ut ex μουσεῖον, muſéum. Sic Dea quæ ſcribitur σώτηρα in Agrippinæ nummo, in Agathoclis Syracuſani nummo eſt σώτειρα, pronuntiatio tamen eadem fuit, *ſotéra*. Hoc eſt Conſervatrix, ut Cleopatra in Antonii nummis eſt ὅσιαν σώτηρα & Κλεοπάτρας ὅσιαν σωτήρας: Sic quoque *Niſibis* oppidum Peræӕ ad Tigrim Fl. in Meſopotamia Νέσιβις & Νάσιβις ſcriptum & pronunciatum occurrit, quod indicat veterem ſcriptionem Νήσιβις fuiſſe, nam Latinis H. Græcorum in E. & A. & I. ſæpius mutatum obſervare licet: ut Strabo malè Νίσιβις Græcè expreſſerit per I. ſecutus pronunciationem Latinam. In nummo Seleuci Νικάτορος apud Dn. de Triſtan Νείσιβις ſcribitur, quod adhuc pronunciationem *Niſibis* fuiſſe declarat. Non jam dicam ex eâdem pronunciatione Τοῖχος & Τεῖχος manaſſe, nam utrumque *Tichos* pronunciatum fuit, idemque ſignificat, murum nempe, à τεύχω deſcendens. Hæc ſane veſtigia

gia ſunt variantis pronunciationis in Græcâ linguâ. Alterum adhuc ex antiquis de H. ſicut I pronunciatum afferam. Eſt civitas in magnâ Græcia quæ Hyela vocatur propè Pæſtum, cujus incolas Hyelitas ſemper appellarunt Romani, non Hyeletas cum tamen in Græcis nummis ſemper ſit ΥΕΛΗΤΩΝ & Velienſes vel Velitenſes fuiſſe interpretatus ſit Goltzius. Itaque apud Plinium l. 3. c. 5. eſt *Helia*, quæ nunc Velia, at non verti debuerat Υελὴ, Velia ſed Vela, nam Romanis hoc uſu venit H. in A. mutare, ut ex Μητὴρ fecerunt Mater, ex κρητὴρ, Crater, ex Κρήτη, Creta, κρήνη, Crena: &c. Atque ſic ex Υελὴ, Vela, & Υελητῶν, Veletenſium, non Velitenſium. Hyeletæ, non Hyelitæ. Quod tamen aliter ſe habere hoc exemplo videmus, ſed rarò; neque enim H. per I. pronunciare antiquis erat uſitatum.

Sed abrumpere opus fuerit, niſi Tranquillinam oblivioni tradidiſſe me velim inſimulari: & poſtquam perpendimus cur TRANKΥΛΛΙΝΑ in hoc nummo, in aliis TRANKΥΛΛΕΙΝΑ ſcripta fuerit, cum eadem utriuſque ſit pronunciatio, ulterius progredior, & reperio Σεβάστης titulum additum, quod Latinè eſt Venerabilis vel Auguſta, nam quod ſummè venerandum occurrit, illud Auguſtum dicimus,

ut

ut Dei nomen Auguſtum eſt, & in terris Imperatorum ac Regum & templorum. At cum in voce Auguſti aliquid ſublimius & auctius, quàm in Σεβάςης eſſe crederent, hinc nummi & inſcriptiones Græcæ ſæpius illud ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, & ΑΥΓΟΥΣΤΑ ſuum fecerunt, prout paſſim obſervare licet, & apud Goltzium ejuſmodi nummus Tranquillinæ noſtræ exſtat, ubi ΑΥΓΟΥΣΤΑΝ, non ΣΕΒΑΣΤΑΝ vocatam legimus. Hinc eſt quod Miſitheus Socer ſcribens ad generum Gordianum, *mi fili venerabilis*, hoc eſt, Auguſtum vocaverit. At Germani reſpicientes ad originem vocis Auguſti ab augendo deductæ; *ſemper Auguſtum* reddiderunt allezeit Mehrer des Reichs / omnem venerationem Auguſtis debitam eâ paraphraſi complexi, ſic ut Imperatricibus hunc titulum non adjicerent, neque enim Auguſtam Mehrerin des Reichs, ullibi animadvertimus nominatam, licet apud Latinos Auguſtæ quoque Imperatrices ſemper dicerentur. Et hæc ad primam nummi faciem obſervanda duxi.

In alterâ paginâ hujus nummi Deam quandam ſculptam video, Citharam in arâ poſitam pulſantem cui plectrum in manu dextrâ inſigne, & in nummis aliis non ita evidens, quamvis ſculptor non aſſecutus hoc ſit, ſed ſagittam, loco plectri, ut rem magis obviam, exſculpſerit,

ſerit, quod ſæpius artifici videmus obrepere peccatum in re nummariâ præprimis. Deæ autem habitum eſſe, inficias ibit nemo, cum perpetuum ſit, Deos & Deas nudos ferè in nummis & ſtatuis ſculpi, idque aliis non tribui, niſi qui Diis comparantur. Hinc ipſam Tranquillinam Auguſtam ſub Deæ habitu in nummo hoc expreſſam ſatis judico, nam aliàs Matronarum pudor prohibebat ſic incedere, & nudatas proſtare, at Dii, cum non corpora humana eſſent, ſed animæ, Genii, & ſpiritus, in quibus nihil impudicum, aut fœdum viſu, ſed omnia ſančta & adoranda hinc nudi pingebantur & ſculpebantur, & quidem integri à capite ad calcem, ſtantes, ſedentes, quod erat Deorum: hominum verò effigies ἐν προτομῇ nec ulteriùs, in nummis præſertim, conſpici. Ad cujus Deæ dicam Tranquillinam hic referre ſpeciem?

Veneris, ni fallor, congruit, eſt enim figura delicatiſſima, ſeries membrorum apta, tenella, omnium elegans συμμετρία, pes, ſura reſpondet, ſecundum illud Homeri:

——— μηροὶ
Εὐφυέες, κνῆμαί τε, ἰδὲ σφυρὰ καλ' ὑπένερθε.

quæ tantæ pulchritudinis & formæ Deam ma-

maximè decent. De ornatu capitis ex superiùs dictis succurrit, galericulum tale ex iis esse, quæ Tertullianus *retrò in cervicem suggesta* dixit, in nodum juxta cervicem collecta, & tæniis margaritarum pretiosis dependentibus innexa, prout nummus ipse ad oculum meliùs exprimit, quàm nos ex chartâ vel sculpturâ docere possumus. Et quamvis Deorum omnium ferè commune fuerit nudos fingi, Deas tamen plerumque vestibus tectas ars proposuit, exceptâ Venere, cujus velut proprium erat, nudam penitus videri, ita Sidon. Apollinar. c. 7.

Nuda Venus, fœcunda parens, pharetrata Diana
Juno gravis, prudens Pallas, turrita Cybelle.

Quin & Veneris formam graphicè depingit Apulejus l. 10. Metam. quasi vel nummum hunc vidisset, vel ex ejus verbis sculpturam nummus sumsisset. *Qualis Venus*, ait, *cum fuit virgo, nudo & intecto corpore, perfectam formositatem professa, nisi quod tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem.* &c. nolo enim reliqua. Hanc ob causam quod nuda esset & formosissima, Veneri Cnidiæ, Praxitelis operi templum δίθυρον statuerunt, ut & anteriùs & à tergo conspici posset, nec aliam ob causam Α-

Φρο-

φροδίτης καλλιπύγυ statuæ & templa veteribus placebant. Et cum Veneris victricis nomen in inscriptionibus & nummis frequens sit, Tranquillinam pro Venere victrice hoc modo effictam adstare, illudque significari. Tranquillinam per citharæ divinam artem, quam præ cœteris eximiè calluisse videtur velut Venerem victricem coli debere, nihil est quod me ampliùs dubitare faciat. Enimvero Venus Dea non solùm VICTRIX in nummis apparet, ob judicium Paridis & pomum Eridos, sed etiam ob alia; nam quod Martem pellexerit & vicerit, eoque exemplo Faustina hanc artem Maritum devincendi didicerit, ideo nummus ejus venerem VICTRICEM ostendit in Martis complexu apud Dn. de Tristan. t. 1. p. 655. Erizz. in Gordiano. Ita Venus ad aram, galeam tenens, quam Marti procul dubio abstulit, in nummo Juliæ Domnæ, ob id Victrix dicta, quod maritum à bello distinuerit, ita quoque in Antonin. Caracallæ nummo argenteo Venus victrix conjux ejus dicitur amore vincens, & Veneris habitu sumto, aliquando ex bello redux Augusta cum Marito, sub Veneris specie hastata, scutumque tenens, vota solvit, & gratias agit sacrificando pro victoriâ adquisitâ, ut in nummo argenteo Juliæ Mammææ, VENERIS VICTRICIS ob id dictæ: Sic

Αφρο-

Αφροδίτη νικηφόρος quid sit intelligimus ex nummis, ubi sæpe cum victoriolâ in manu stans conspicitur, unde verum esse deprehendimus, quod Prudentius l. 2. contra Symmachum scripsit:

——— ——— quidquid fortiter actum est
Adscribit Veneri, palmam victoribus aufert.

Jam verò nec solà formâ, nec bello, nec amore victrices fœminæ sunt, sed etiam aliis artibus, inter quas citharæ cantus per totam Græciam præcellit, nam Latinis hæc ars non adeò placuit. Videmus tamen in nummo L. Julii L. Filii, apud Ursinum & Goltzium cum Venere citharam quoque positam. Græcis Parentibus Tranquillinam ortam indicat nomen Patris & Avi, Μησιθέου & Τιμησικλέους, ut Romæ Tranquillinam natam & educatam ipsius nomina monstrant, Furia, Sabina, Tranquillina, quæ omnia Romana sunt. At non ita Romanos mores imbibit, ut planè Græcos negligeret, hinc Citharæ quoque operam navasse Tranquillinam multa docent. Et cum Asiaticis populis hac arte se nimis quàm probaret, Deam fecerunt Tranquillinam, quod non solùm ex hoc nummo, quem Germenses fabricarunt ostenditur, sed etiam ex alio nummo apud Dn. de Tristan t. 2.

p. 549. ubi Tranquillina inſtar Divæ recubans ſuper tergum cygni fulcienſque manu dextrâ caput & citharam ſiniſtrâ tenens in genu altero cœlum verſus fertur : quem nummum Chalcedonii ejus honori & memoriæ dicarunt. Nam quod de Apolline Dn. de Triſtan hunc nummum intellexit, fruſtra eſt, & Tranquillinam, ob citharæ & plectri ſuaves modulos, quibus excelluit, à Chalcedoniis inter Divas relatam certum habeo, ita ut in his partibus eam obiiſſe ſi dixerim, non multùm aberraverim. Huc quoque traho nummum ejuſdem Auguſtæ, qui legitur apud Erizzo inter nummos Gordiani, quem Tralliani, ſeu potius Tralli in Bithyniâ Tranquillinæ honoribus conſecrarunt, ubi duæ coronæ in mensâ proſitæ jacent cum ſupra ſcripto ΠΥΘΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. voluntq; Tranquillinam in his ludis Pythiis & Olympiis apud Trallios celebratis viciſſe, & duas propterea coronas omnium judicio tuliſſe, quæ hic exprimuntur, nec ad aliud ſtudium trahi poſſunt quàm ad certamen Muſicum & Citharæ, quo Tranquillina omnibus palmam præripuit. In Olympicis ludis *κιθαρωδῶν ἀγὼν* primùm introductus legitur Olymp. 26. & ſequenti 27. factus eſt hic agon primò *Στεφανίτης*, hoc eſt, ubi coronæ vincentibus imponebantur, nam ſic intelligo locum ex Scali-

geri Συναγωγῇ ἱστοριῶν, cum antea σαδιονίκαις coronam tribuerit primam Olymp. 7mā. ita coronæ Olymp. 27. ſpectent ad certamina & victoriam Citharœdorum muſicorum. Sic Arion Methymnæus Olympia vicit in citharâ Olympiadis 29. anno primo, primus quem nominatim viciſſe legimus. In Græco eſt: Ἀρίων Μηθυμναῖος Κυκλέως υἱὸς, τὸν ἐν Σικελίᾳ νικήσας ἀγῶνα ἐπὶ Δελφῖνος εἰς Ταίναρον τῆς Λακωνίας ἐσώθη. Nota eſt hiſtoria Arionis Citharœdi Delphinum citharâ mulcentis, ita ut agonem viciſſe in Siciliâ cum dicatur, citharâ & cantu viciſſe manifeſtum fiat. Olympiad. 67. Anno primo Phrynicus Tragicus Olympia viciſſe ſcribitur ibidem ſcilicet Tragœdias & fabulas agendo.

Ita quoque Tibicines in his ludis certaſſe leguntur, quod certamen Amphictyones introduxerunt. Egregium eſt quod dicit hiſtoria ad Olymp. 71. annum tertium: Μίδας, inquit, Ἀκραγαντῖνος αὐλητὴς, ἀγωνιζομένου αὐτοῦ, ἀνακλασθείσης τῆς γλωσσίδος ἀκουσίως, καὶ προσκολληθείσης τῷ οὐρανισκῷ, μόνοις τοῖς καλάμοις τρόπῳ σύριγγος ηὔλησεν, Οἱ δὲ Θεαταὶ ξενισθέντες τῷ ἤχῳ ἐτέρφθησαν, καὶ οὕτως ἐνίκησεν. Non jam vacat prolixiùs hæc agere, ſufficit hæc certamina, citharæ, lyræ, Tibiarum, Poëtarum, & Muſica alia in ludis Olym-

lympicis & Pythiis notissima fuisse & ἀγωνιστικότατα. Deinde dicit eadem historia de Pythiis ludis. Olymp. 48. anno tertio nempe, Amphictyones præmia Citharœdis primum constituisse: locus est insignis & meretur apponi. Ἀμφικτύονες ἆθλα Πυθίοις ἔθεσαν κιθαρῳδίας, καὶ προσέτι αὐλῳδίας ἀγώνισμα, καὶ ἔνθεν αἱ Πυθιάδες ἀριθμοῦνται. Unde constat aliud esse στεφανίτην ἀγῶνα, aliud ἆθλα, nec inter præmia coronas esse, sed ad honores solùm spectare: constat etiam, quando Pythii ludi cœperint: unde dicitur, Olymp. 72. anno 3tio. 25tum Pythicum ludum actum esse, & in eo vicisse tibiis Midam Acragantinum Μίδας Ἀκραγαντῖνος ἐνίκησε τὴν ΧΕ. πυθιάδα. Quod verum est, nam ab Olymp. 48væ anno tertio, quo Pythii ludi cæperunt, usque ad Olympiadis 72 annum tertium Olympiades 24. præterierant, & cœperat 25ta. quam vicit Midas, atque sic singulis quinquenniis Pythicos æque ac Olympicos ludos decertandos incidisse docemur. Sed Olympicos, anno Olympiadis cujusque primo, Pythios, anno Olympiadis tertio. Ita Olymp. 75. Anno primo, Φρύνις κιθαρῳδὸς Μιτυληναῖος πρῶτος δόξας κιθαρῳδῆσαι παρ' Ἀθηναίοις παναθήναια ἐνίκησε. In Pythiis ejusdem Olympiadis anno tertio vicit Themistocles χορηγῶν

γῶν τραγῳδοῖς Φρυνίχου διδάσκοντος. Olympiadis 76. anno quarto Æſchylus tragœdiis ſuis, Phineus, Perſæ, Glaucus, Potneus, Prometheus dictis, vicit, & Olymp. 80. anno 2do aliis Tragœdiis. Ita Ariſtophanes, Cratinus, Eupolis, Agathon, Archippus Athenienſis Comicus, Xenocles & Euripides, Sophocles, Ariſtocrates, multique alii tragœdias & carmina ſua in his ludis propoſuiſſe, docuiſſe, certaſſe, viciſſe dicuntur. Rhetorum certamina occurrunt Olymp. 103. Anno primo in ludis Mauſolo ab Artemiſiâ dicatis. Olymp. 96. primò Tubicinum & Præconum certamina intraducta fuerunt, & cœteris exercitiis addita. Unde vetuſtiſſimum omnium certamen fuiſſe *κιθαρῳδὸν*, inter muſica ſcil: & Poëtica, nunc, puto, cuivis patet, & cur Tranquillinam in Aſiâ inter Græcos ob hanc artem coluerint & deprædicarint. Sciendum enim Tranquillinam marito ſuo Gordiano contra Perſas proficiſcenti comitem iviſſe, eaque occaſione civitatibus Græcis innotuiſſe, jamque dictum nummum Tralliorum haud ob aliam cauſam prodiiſſe, quàm quod in Olympiis & Pythiis ejus populi ludis citharâ præ cœteris ſolertem ſe dederit, & per agononthethas utrobique palmas obtinuerit: Errorem Seb. Erizzo in voce Τραλλιωνῶν, quam in nummo

Tran-

Tranquillinæ dicto reperisse se putat, exinde manifestum reddam, quod nummum istum in literis mutilum fuisse confiteatur, dum ait: Τρωλλιωνῶν. *con altre lettre framentate*, & meo periculo Τρωλλίων illic legi, non Τρωλλιωνῶν, jubeo. Nam in Lydiam, ubi Tralliani sunt, Gordianus aut Tranquillina non adeò penetrarunt, sed ex Syriâ in Mesopotamiam signa convertit Imperator ad Edessam, Carras, Nisibin & Ctesifontem: sic literæ Gordiani tertii ad Senatum Romanum loquuntur apud Capitolinum: *etiam Persas* scribit, *ut brevi multa connectam, ab Antiochensium cervicibus, quas jam nexas Persico ferro gerebant, & Reges Persarum & leges amovimus. Carras, deinde, cæterasque Urbes Imperio Romano reddidimus; Nisibin usque pervenimus, & si Dii faverint Ctesiphonta usque veniemus.* Consentiunt nummi, in quibus Adrianopolitani Thraciæ; Tyrii Phœniciæ, Carrhæ in Mesopotamiâ, Edesseni in Syria aut Mesopotamiâ, Patareni in Lycia, Cæsarenses in Palæstinâ, aut Cappadociâ, quia Metropolis nuncupatur, quæ erat Cappadociæ: Nicomedienses in Bithyniâ, Ephesii in Ioniâ, Nilitopolitæ in Ægypto, Temnitæ in Æolide, Seleucienses in Ciliciâ, Apameenses Syriæ, Ilienses in Propontide, Magnesii ad Mœandrum in Lydiâ, Nysæi in Thraciâ vel Cariâ, Viminacii in Mœtia superiore, Sar-

diani & Hypœpeni in Lydiâ, Smyrnæi in Jonia, Perinthii in Thraciâ, Anchialitæ in Ciliciâ, Gordiano nummos inſcripſiſſe leguntur. Videmus igitur ex his quos populos Gordianus vel adierit, vel recuperaverit, vel famâ ſuâ ad honores conferendos excitaverit. Nam in Aſiâ ſedes belli fuit contra Perſas, & miror Antiochenſium nummos nondum mihi repertos aut viſos occurriſſe, à quibus initium fecit Gordianus in Perſis removendis: non illos exſtare dubito, ſed latere adhuc in ſcriniis alicubi certus ſum. Syriam itaque Joniam, Ciliciam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Phœniciam & Meſopotamiam liberatas à Perſarum jugo dicere licet, quamvis ad omnes non venerit niſi famâ, ſed ad ipſum acceſſerint Rege Perſarum pulſo, ſeque deditiſſimos monſtraverint. Propontidem verò, Pontum Cappadociam Bithyniam adhuc in poteſtate Romanorum fuiſſe, ibique Tranquillinam ſubſtitiſſe, cum Gordianus in hoſtes & caſtra pergeret, nec in acie ſtare cum Marito ſibi tutum eſſe judicaret, unde plerosque nummos Tranquillinæ ex Bithyniâ & Propontide proveniſſe videmus, Tralliorum, Chaledoniorum Germenſium, licet Smyrnæi & Epheſii quoque illam honoraſſe reperiantur. Hæ mihi cauſæ ſunt, cur Trallianorum ex Lydiâ nummum iſtum eſſe vix mihi perſuadeam,

ſed

ſed Tralliorum in Bithyniâ, & τραλλίων legendum eſſe judicem, non τραλλιανῶν, ſed illud ΩΝ in fine τρωλλιώνων ſpectare ad ſequentes literas mutilas & exeſas, de quibus Erizzo monuit. Adde quod diſſentiant valde Scriptores de Trallianis an in Cariâ, Joniâ, vel Lydiâ poſiti fuerint. Plinius & Ptolomæus Cariæ inter Mæandrum & Cayſtrum; Strabo Joniæ, Stephanus Lydiæ & ad Mæandrum fluvium locum ipſis tribuit, aliis quoque nominibus notos aſſerit, utpote quod civitas eorum non ſolùm Τράλλις ſed & Ἄνθεια, & Εὔρυμναι dicta fuerit, in quibus ambiguitatibus Τραλλίων mihi potius placet, cum omni dubio careat Τράλλιον & Τραλλίους in Bithyniâ ad ſinum Aſtacenum ſitos fuiſſe, illudque hiſtoriæ Tranquillinæ magis congruat, niſi quis arguere velit, ex Τράλλιον non ſolùm Τραλλίους dictos eſſe cives oppidum hoc habitantes, ſed etiam Τραλλιωνοὺς, quod per me licet, & Stephanum incuſent oportet, qui aliàs accuratè diſtinxit Τράλλους & oppidum Τράλλα in Illyrico, Τράλλιον & Τραλλίους in Bithyniâ, ut & Τράλλιν & Τραλλιανοὺς in Lydiâ.

Ad Pythia ut revertamur, quæ Citharâ viciſſe Tranquillinam apud Trallios diximus, omnium optimè Strabo nos docet l.9.p.m.421. quomodo proceſſerint hi agónes, & quidem

initio solos Citharœdos certasse, & Apollinem decantasse refert. Amphictyones posteà ludos istos amplificasse equestribus & palæstricis exercitiis additis, & Pythia vocasse. Locus est insignis, ideoque totus adscribendus, ut quid sit Citharœdos Pythia vicisse satis intelligamus. Sic igitur scribit, Ἀγὼν δὲ ὁ μὲν ἀρχαῖος ἐν Δελφοῖς Κιθαρῳδῶν ἐγενήθη παιᾶνα ᾀδόντων εἰς τὸν Θεόν: ἔθηκαν δὲ Δελφοὶ μετὰ τὸν Κριθαῖον πόλεμον. Οἱ δ' Ἀμφικτύονες ἱππικὸν καὶ γυμνικὸν ἐπ' Εὐρυλόχου διέταξαν στεφανίτην καὶ Πύθια ἐκάλεσαν. Προσέθησάν δε τοῖς Κιθαρῳδοῖς αὐλητάς τε καὶ κιθαριστὰς χωρὶς ᾠδῆς, ἀποδώσοντάς τι μέλος ὃ καλεῖται νόμος Πυθικός. πέντε δ' αὐτοῦ μέρη ἐστὶν, Ἀνάκρουσις, Ἄμπειρα, κατακελευσμὸς, Ἴαμβοι καὶ Δάκτυλοι, Σύριγγες. Ἐμελοποίησε μὲν οὖν Τιμοσθένης ὁ Ναύαρχος τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου, ὁ καὶ τοὺς λιμένας συντάξας ἐν δέκα βίβλοις. Βούλεται δὲ τὸν ἀγῶνα τοῦ Ἀπόλλωνος τὸν πρὸς τὸν δράκοντα διὰ τοῦ μέλους ὑμνεῖν. ἀνάκρουσιν μὲν τὸ προοίμιον δηλῶν. ἄμπειραν δὲ τὴν πρώτην κατάπειραν τοῦ ἀγῶνος: κατακελευσμὸν δὲ αὐτὸν τὸν ἀγῶνα: Ἴαμβον δὲ καὶ δάκτυλον, τὸν ἐπιπαιωνισμὸν τὸν ἐπὶ τῇ νίκῃ, μετὰ τοιούτων ῥυθμῶν, ὧν ὁ μὲν ὕμνοις οἰκεῖος ἐστὶν, ὁ δ' Ἴαμβος κακισμοῖς καὶ τὸ Ἰαμβίζειν. Σύριγγας δὲ τὴν ἔκλειψιν τοῦ Θηρίου μιμουμένας ὡς ἂν κατα-

τα-

παστρέφοντος εἰς ἐσχάτους τινὰς συριγμούς. Tanto apparatu Citharœdis opus erat in Pythiis vincendis, & qui ista omnia dextrè noverat exprimere, ingeniumque feliciter ostentare, ut omnibus placeret, is ἆθλα & coronas auferebat, prout hic Tranquillinæ contigisse nummus Tralliorum testatur. Idem Pollux Paulò mutatis verbis de Pythiis certaminibus per tibias vincendis l. 4. c. 10. sub finem dixit. Περὶ τῶν πέντε πυθικῶν ἀγώνων. Τοῦ δὲ πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ μέρη πέντε, πεῖρα, κατακελευσμὸς, Ἰαμβικὸν, Σπονδεῖον. Καταχόρευσις. Δήλωμα δ' ἐστὶ νόμος τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος μάχης πρὸς τὸν δράκοντα, καὶ ἐν μὲν τῇ Πείρᾳ διορᾷ τὸν τόπον, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος. Ἐν δὲ τῷ κατακελευσμῷ προκαλεῖται τὸν δράκοντα· ἐν δὲ τῷ Ἰαμβικῷ μάχεται. Ἐμπεριείληφε δὲ τὸ Ἰαμβικὸν καὶ τὰ σαλπιστικὰ κρούματα, καὶ τὸν ὀδοντισμὸν, ὡς τοῦ δράκοντος, ἐν τῷ τετοξεῦσθαι, συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας. Τὸ δὲ Σπονδεῖον δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ Θεοῦ. Ἐν δὲ τῇ καταχορεύσει ὁ Θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. Quæ cum ita se habeant, nec unum nummum ad citharam Tranquillinæ artemque Musicam, in quâ primas tulit, spectare deprehendamus, nihil ampliùs vetat nos credere, Germenses in nummo nostro veluti Deam & venerem victricem in templo suo

Tranquillinam cum citharâ repositam habuisse, cujus templi Ælium Aristonicum in hoc nummo memoratum Sacerdotem fuisse conjicio: in quâ me sententiâ confirmat alius Gordiani nummus apud Erizzo p. m. 703. memoratus, quem Nysæi cuderunt, postquam Gordianum veluti Deum Herculem & Mercurium in templo suo colendum statuerunt, idque factum significarunt ἐπὶ M. Αὐρηλίου Μουσωνίου Ιερέως, sub M. Aurelio Musonio sacerdote: & alius nummus apud Dn. de Tristan. p. 43. Juliæ Domnæ, in quo, ἐπὶ M. Αὐρηλίου H' Φαισίωνος Αρχιερέως Δαλδιανῶν; legitur. Fallitur autem Erizzo, qui Nisam oppidum in Scythiâ, Schytopolin dictum, vel Nisam Indiæ, vel Nisam Megarensium in Atticâ per Nysæos illic expressos intelligit. Stephanus monstravit decem oppida fuisse, Νύσαι dicta, in Helicone, in Thraciâ, Cariâ, Arabiâ, Ægypto, Naxo, Indiâ, in monte Caucaso, Libyâ, & in Eubœâ: ex quibus Νυσαίους Cariæ nummum istum nobilitasse censeo: nam Νυσαῖοι Thraciæ, non ita celebres fuerunt, si quis fortè Gordianum transeunte exercitu ab illis ἀποθέωσιν meruisse velit contendere. Caria verò, Persarum Imperio relicto, Romanos iterum Dominos agnoscens, Gordiano Augusto exercitum ducenti, tanquam novo Domino hunc honorem ut haberet,

beret, præprimis impulsa credi debet. In Hadriani, M. Aurelii & Veri nummis est Νυσαέων quod est ex Νυσαεὺς ut Νυσαίων ex Νυσαῖος: nam utroque modo ex Νύσαι gentile flecti & deduci docuit Stephanus. Dn. de Tristan præter enumeratas Nysas aliud oppidum in Armeniâ hujus nominis ponit, sed nihil impedit quin nummos Hadriani & M. Aurelii & alios de Nysæis Cariæ, ut claro populo, & cœteris nobiliore capiamus, cum Persicus, vel Parthicus, vel Armeniacus habitus Luni Dei, qui in istis visitur, non illis sit alienus, aut Armenis solùm proprius. Additum est in M. Aurelii Nummo, ΕΠ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΔΙΟΔΟΤΟΥ. & laudo ingenium docti illius Viri, qui pro ΤΡ. reposuit ΣΤΡ. ut sit ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ. Adducit quoque alium Nysæorum nummum t. 1. p. 730. & t. 2. p. 209. ubi additum est Επ. αιλ. παιανίου. Et subintelligitur Ἱερέως; nam in omnibus illis nummis quibus ejusmodi nomina adscripta, semper vel Dii Deæquè vel templa, vel honores alii sacri deprehenduntur. Rarum est præterea addi Ἱερέως, frequentius reperies Στρατηγοῦ. Unde colligo, non addito officio nomini, semper intelligi flamines aut Sacerdotes præfuisse templis, in quibus honores Imperatoribus dicati sunt. Deinde Στρατηγῶν officium semper præponitur nomini, aut plerumque

que, Ἱερέως ferè subjungitur, ut sic omittatur faciliùs, siquidem nummorum paginæ breves & angustæ non prolixa capiunt nomina, simul & officia. Quare cum in nostro nummo sit. ἐπὶ αἰλ. Ἀρισονεικȣ, & Tranquillina instar Deæ Veneris à Germensibus culta, quin & in templum recepta, nullum dubium est, per Ælium Aristonicum hic intelligi Sacerdotem istius templi, in quo colebatur Tranquillina curante civitate Germensi. Hac ratione Nero Imp. in citharâ tantus artifex, apud Themistium Orat.5. veluti Deus in Apollinis templo ponitur, cui tamen Apollo larvam & Dei & hominis detraxit, & belluam relictam dixit. Οὐδὲ γὰρ ὕϛερον, dicit ibi Apollo, περὶ Νέρωνος τȣ̃ Ρωμαίȣ, εἰς τὸν αὐτὸν τȣ̃τον νεὼν ἡνίκα ἀφίκετο, ἐδίϛασα εἰ Θεὸς ἀφίκετο, ἀλλ' ᾔδειν ὅτι θηρίον ἐν μορφῇ ἀνθρώπου. Vides in templo positum advenisse Neronem, ut Tranquillinam apud Germenses: neque tamen propter ea Νεωκόρȣς dicere Germenses licet, aut Ælium hunc Aristonicum Præsidem Neocororum, quod facit Erizzo in nummis talibus explicandis. Non enim Νεωκόροι civitates fuerunt æditui aut tutores templorum gentilium, quod hactenus plerisque persuasum fuisse video, sed observandum est totas Civitates Νεωκόρȣς appellatas, non ob nullam

cau-

causam, sed quod totius civitatis sumptibus nova templa posita sint Imperatoribus & curata, hoc est, Sacerdotibus Augustalibus, victimis, Sacrificiis, omnibusque quibus Dii colebantur, instructa, & cum bis vel ter ejusmodi templa Augustis procurasset una eademque Civitas, hinc est quod δὶς καὶ τρὶς Νεωκόροι in nummis audiant. Egregiè facit ad hanc rem nummus Caracallæ apud Dn. de Tristan t. 2. p. 211. ubi Pergameni τρὶς Νεωκόροι dicuntur, ob tria templa Caracallæ posita vel simul vel per vices. Adsunt illa tria templa oculis in nummo subjecta, in quorum superiore colebatur ut Jupiter, in binis aliis sub alterius Dei formâ: adscribitur, περγαμήνων τρὶς νεωκόρων πρώτων ἐπὶ CTP. M. Καπίλωνος Ατίάλȣ. Illud πρώτων vel explicari potest, quod primi Pergameni fuerint in Mysia majore, ubi ad Caycum Fl. siti, hoc est, caput totius Provinciæ, vel quod primi in ista provinciâ Νεωκόροι, qui templis integris Imperatorem honorarunt, vel etiam quod primi fuerint, qui tria templa simul eidem Imperatori struxerunt Id quod fateor mihi magis placere, cum ante hanc Caracallæ ætatem in nummis, quos ego quidem vidi, τρὶς Νεωκόροι non reperiantur præter Pergamenos; quod exemplum secuti fuerunt Nicomedienses Bithyniæ in Valeriano

&

& Gallieno & Valeriano Cæſare honorandis, quorum nummum rariſſimum æreum producit G. Choul. p. 116. ubi tria templa poſita ſunt, & adſcripum: Νικομηδέων τρὶς Νεωκόρων. ſed abeſt πρώτων quod Nicomedienſes non fuerint primi Νεωκόροι, qui tria templa Imperatoribus ſtatuerunt: ita quoque Smyrnæi Γ. Νεωκόροι, dicti in nummo Gallieni quod tria templa erexerint, ſed non πρῶτοι. Quod hic honor Pergamenis ſolis debeatur, ideoque τρὶς Νεωκόροι πρῶτοι appellati fuere. Aliud eſt in nummo Gordiani, ubi Seleucienſes Νεωκόροι πρῶτοι dicti ſunt, illud enim ſignificat, Seleucienſes Ciliciæ populum primos omnium templi divinos honores Gordiano decreviſſe; Soli Epheſii Δ. Νεωκόροι adducuntur in nummo Gallieni, & antea in nummis Antonini & Commodi δὶς Νεωκόροι & in nummo Lic. Valeriani, τρὶς, at in Nummo Mammææ ſimpliciter Νεωκόροι dicuntur quod miror, cum τρὶς Νεωκόροι eſſe poſſent ætate Mammææ, qui jam tempore Antonini & Commodi bis illam dignitatem obtinuerant, ut nondum ſtatuere poſſim, an Civitates δὶς, τρὶς καὶ τετράκις Νεωκόροι dicti fuerint ob duo, tria, vel quatuor templa uni imperat. poſita an pluribus, ut loquuntur, ſucceſſivè ita ut Gallienus 4tus ſit Imperator, cui templum tanquam Deo erexerint. Epheſii,

ſii, vel an Imperator ſit, cujus honoribus quatuor templa dicarint, in quam ſententiam magis propendeo. Nam ſi Epheſii ſub Antonino Pio, jam δὶς Νεωκόροι fuerunt, ut patet ex nummis, cur non ſub Commodo ter Neocori, & ſub Mammæa quater Νεωκώροι fuiſſent, quibus templa ſua conſecrarunt? At cum Commodo duo templa, Mammææ unum erexiſſent, ideo in Commodi nummo δὶς Νεωκόρους, in Mammææ ſolùm Νεωκόρους dictos eſſe Epheſios proclive fuerit credere. Neque enim hanc dignitatem Civitates propriâ Autoritate ſibi ſumere ſunt auſæ, ſed Româ petebant, & per Senatusconſultum dari, ut legitur in marmore Græco apud Reines. in Inſcriptionibus p. m. 286. Καὶ ὅσα ἐπιτύχομεν παρὰ τοῦ Κυρίου Καίσαρος Ἀδριανοῦ διὰ Ἀντωνίου Πολέμωνος. δεύτερον Δόγμα συγκλήτου καθ' ὃ δὶς Νεωκόροι γεγόναμεν &c. quod Smyrnæis tribuitur. Aliud itidem eſt, τὰ πρῶτα κοινὰ Ἀσίας Σμυρναίων in nummis Septimii Severi & Gallieni legimus, & in nummis Tranquillinæ noſtræ Ἐφεσίων πρώτων Ἀσίας & in nummis Macedonum, Μακεδόνων πρώτης. nam hæc alio ſpectant, nec jam vacat explicare. Illa, quæ diximus pertinent ad Νεωκόρους Civitates, non ad Νεωκόρους Deorum & templorum ordinarios, nam hi longè differunt, & à civitatibus præficiebantur

tem-

templis, ut Νεωκόρ☉ τȣ̃ μεγάλȣ Σαράπιδ☉, & Κράτισ☉ Νεωκόρ☉, *princeps templi curator*, in Inscriptionibus Reinesii. Sed Civitates aliâ ratione, ut dictum, Νεωκόροι constituebantur, hinc in iisdem inscriptionibus de Perinthiis Thraciæ: Βȣλὴ καὶ δῆμ☉ τ̃ Νεωκόρων Περινθιῶν exprimitur.

Nullum igitur dubium superest Tranquillinam hoc monumento inter Θεότητας positam ob artem Citharœdicam, quam semper divinam existimarunt Græci, ad Mercurium & Apollinem ejus referentes originem, & quod ab Augustâ ac divina manu Tranquillinæ honor ac decus summum accederet arti, non aliter quam signo vel statuâ Veneris Victricis & arâ colendam in templo suo Augustam judicarunt Germenses. Nonne credas huic Augustæ acclamatum, quod olim Neroni Citharœdo facto? ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὐγοῦσ☉, εἷς ὡς πύθι☉, μά σε Καῖσαρ, ȣ̓δεὶς σε νικᾷ. Ita Tranquillinæ, ἡ καλὴ Βασίλισσα, ἡ Ἀφροδίτη, ἡ Σεβαστὴ, μία ὡς Νικηφόρ☉, μά σε Βασίλισσα, ȣ̓δεὶς σε νικᾷ. nam ad Augustæ citharam & vocem cœteras obmutescere facile puto ab adulantibus impetrari potuit: In arâ quod positam Citharam pulsari videamus, frequens hoc est, quod in campis & locis, ubi πανηγύρεις instituebantur

tur & ludi publici, ſemper aras fuiſſe ſciamus, ad quas poſt ſacrificia Poëtæ, Rhetores Citharœdi accedebant, ſuaque certamina auſpicabantur, ut Auſonius dixit, ad *aram Lugdunenſem palleſcere Rhetores*: ita quoque ut ſignificarent in publicis ludis Tranquillinam citharâ viciſſe, aram in quâ vicerat, luſerat & cecinerat, exprimendam curarunt. Quin & alias ob cauſas citharas in aris templorum dicatas & conſecratas animadvertimus, ad divinitatem iſtius inſtrumenti ob oculos ponendam. Nam magni artifices & Muſici jam feſſi, & per citharam clari facti, tandem Apollini ſuum quod acceperant reddebant, munus in arâ reponentes citharam, ut ſic inter donaria poſſit cenſeri. Hinc Baſilius M. in comm. Super cap. 5. Eſai. Σοὶ δὲ χρυσῷ καὶ ἐλέφαντι πεποικιλμένη ἡ λύρα ἐφ' ὑψηλοῦ τινος βωμοῦ ὥσπερ τι ἄγαλμα καὶ εἴδωλον δαιμόνων ἀνάκειται. Unde diſci poteſt aras quaſdam alias aliis fuiſſe excelſiores & humiliores, quod etiam in nummis obſervatur, & ſuum humili, ſuum etiam aræ ſublimi uſum fuiſſe. In templo ſtatuas dedicari veteribus conſuetum, ideoque non multis id probari neceſſè fuerit, Una inſcriptio apud Gruterum ſufficiet, quæ prima eſt p. 375. ubi Baſſæo Viro Clariſſimo & multis officiis ornato SENATUS AVCTORIBVS IMPP. ANTONI-

NO . . . . . ET . . . COMMODO AVGG. STATUAM ARMATAM IN FORO DIVI TRAIANI. ALIAM CIVILI AMICTU IN TEMPLO DIVI PII, & TERTIAM LORICATAM IN TEMPLO . . . . . Cur autem in templo potiùs quàm alio loco statuam hanc Tranquillinæ repoſitam judicem, licet templum non appareat, facit ſacerdotis Ariſtonici nomen additum, quod indicio eſt, in templo cui is præfuit, ſtatuam Tranquillinæ talem dicatam fuiſſe à Germenſibus. DEVOTIS NUMINI MAIESATIQUE EIVS. ut vetus eſt formula, eò ſpectans, Imperatores Auguſtos & Auguſtas inſtar Numinis cultos & adoratos eſſe, ita in nummis Liviæ ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ apud Goltzium.

Quam ob cauſam Citharæ formam & uſum apud antiquos ex hoc Tranquillinæ nummo diſcere non ingratum eſſe poteſt, eò magis quod forma & figura Citharæ antiquæ hodie perierit, & in alias formas cum nomine ſe verterit, quas enim hodie citharas videmus, & vocamus toto cœlo diſtant, nec aliud inſtrumentum muſicum ſupereſt, cui cithara veterum conveniat aliquâ ratione, præter illud quod harpam ſolemus appellare, in eo tantùm ſimilem citharæ, quod utrinque manibus tangatur

&

& pulſetur, nec ſuper ligneo quodam corpore concavo, levi, ventricoſo, & ad ſonum clariorem efficiendum adaptato chordas ductas habeat. Citharæ veterum ſæpius in nummis exprimuntur unâ ſemper eâdemque formâ, quæ cum noſtrâ coincidit quam Tranquillina tractavit, nam inter duo velut cornua paulùm inflexa tigillum ſuperius transverſim infixum ſedet, ex quo chordæ deſcendunt ad imam partem cornuum & pedem citharæ ejus ubique magnitudinis, ut commodè in menſâ vel arâ ſtatui poſſet, quando pulſare quis cuperet. Nec ſoliciti valdè ſumus an lyram vel citharam vocare deceat hoc inſtrumentum, haud enim tam accuratè nunc quidem diſtinguimus, licet fatear inter lyram & citharam diſcrimen antiquis fuiſſe, quod jam dudum exolevit, & millies citharam cum lyra confundi reperies, ita ut Citharæ nomen prævaluerit & Citharœdorum; lyra, lyricines & lyrici in contemptum abierint. Hinc eſt, quod Nero non lyræ operam dediſſe ſcribatur, ſed citharæ, & planè in nummis ejus talem formam videmus citharæ, quam in noſtro præfert, ut ut ſcriptores velint κιθάραν & χέλυν ſive teſtudinem idem fuiſſe. Audiamus fabulas de hac re, & quidem ex Avieno.

Eſt chelys illa de hinc tenero quâ luſit in ævo
Mercurius, curvâ religans teſtudine chordas,

Ut Parnaſſeo munus memorabile Phœbo
Formaret nervis opifex Deus ———

Hanc chelyn lyram nominat Aratus in Phænomenis

Καὶ χέλυς ἥτ' ὀλίγη, τ' δ' ἄρ' ἔτι καὶ παρὰ λίκνῳ
Ἑρμείας ἐτόρησε, λύρην δέ μιν εἶπε λέγεσθαι.

Xenophon in Sympoſ. non citharam ſed λύραν κιθαρίζειν dixit: ἡρμοσμένῃ τῇ λύρᾳ πρὸς τὸν αὐλὸν ἐκιθάρισεν ὁ παῖς καὶ ᾖσεν. & Athenæus; ἀναλαμβανὼν τὴν λύραν ἐκιθάρισεν, ut & Homerus: Φόρμιγγι κιθάριζε, ita ut κιθαρίζειν tam lyræ, quàm aliis inſtrumentis lyricis applicetur, ubicunque τὰ κρούσματα nervorum & chordarum fieri convenit. Eſt mihi nummus Trajani Græcus argenteus, ubi duæ lyræ ad invicem poſitæ ſculptæ videntur, ſuperſidet noctua, vel tale quid, nam ſuperiore parte ſui detritus nonnihil eſt: ut cornua lyrarum prodeuntia arbitrari non detur; adſcriptum extat ΔΗΜ. Ε.ΥΠΑΤ.Β. Planè conſentit ille nummus, quem Dn. de Triſtan t. 1. p. 368. attulit, ad Nervam Imperatorem pertinens, ubi pleniùs & perfectiùs hæ lyræ ſunt expreſſæ, differunt illæ à pluribus aliis in nummis hinc inde proſtantibus,

circa pedem aut ἀγκῶνας ut loquuntur Græci, ubi teſtudo aut rotunditas orbicularis teſtudinis ſatis conſpicitur, ex quâ chordæ protenduntur ad tignum uſque, hac fere figurâ margini adſcripta, ut videre mihi videar id quod dixit Plinius de teſtudinibus loquens l. 9. c. 10. *Troglodytæ cornigeras habent* (teſtudines) *ut in lyrâ, annexis cornibus latis, ſed mobilibus, quorum remigio in natando ſe adjuvant.* Hanc igitur lyram eſſe & χέλυν nihil dubito, cœteras verò quæ teſtudine iſtâ carent & ubique occurrunt in antiquorum monumentis citharas dictas fuiſſe haud obſcurè colligo, ita ut teſtudineam lyram non ineptè dixerit Propertius l. 4. Eleg. 6.



Non ille attulerat crines in colla ſolutos
Aut teſtudineæ carmen inerme lyræ.

Erant verò Citharæ non ſolùm ſine teſtudine, ſed etiam paulò latiores, ut plures chordas capere poſſent; nihil enim eſt, quod Dn. de Triſtan octo chordas, veluti 4. paria in lyra Nervæ compoſuerit, nam in lyrâ & nummo meo Trajani, de quo jam dixi, non niſi quatuor chordas animadvertere licuit in ſingulis: deinde citharæ baſi & pede quodam inſtructi, ubi cubiti citharæ & cornua oriuntur, ut reponi poſſent,

 quem-

quemadmodum hic in arâ ſtantem citharam vides; lyræ verò, ob teſtudinem quam referunt, ſubtus rotundatæ, aut reclives jacere debent, aut ſi tractentur manibus, inter genua teneri, ut manus officium facere queant, qualiter ludentem Apollinem in monte ſedentem, ſed citharâ, non lyrâ, deprehendes in nummo Auguſti apud Dn. Oiſel tab. 1. fig. 8. Conveniunt autem lyræ & citharæ, quod utraque cornua ſua habeat, inter quæ chordæ nectuntur, ſed & in eo, quod utraque manu pulſentur ab utroque latere cum vel ſine plectro. Sive igitur terreſtrem ſive aquatilem teſtudinem Mercurio ad lyram effingendam inſerviiſſe dicere volumus, inter cornua, quæ Plinio dicuntur, chordas tenſas concipere debemus, ad id, ut utrâque manu pulſari poſſint, nam quod in aquatilibus cornua ſunt, id in terreſtribus ſunt pedes teſtudinum anteriùs protenſi. Et revera, quæ Plinius cornua dixit, pedes ſunt teſtudinis aquaticæ, prout hodie melius omnino novimus & inſpeximus egregiæ magnitudinis teſtudines ex Africâ apportatas pedibus quatuor ad natandum inſtructas, poſterioribus breviculis, anterioribus longiſſimis & latè protenſis, de quibus veriùs dicitur, *quod mobiles ſint, & eorum remigio in natando ſe adjuvent* quàm de cornibus. Qui minùs credere vult, apud me videat,

deat, licet, ejusmodi teſtudinem omnibus partibus integram & bene conſervatam, & docebo, quâ ratione Mercurius inter pedes primores vel cornua teſtudinis chordas diſpoſuerit, ſonumque ex corpore concavo prolicuerit: nam ſic fabula habet; aliquando recedente Nilo ad interiores meatus inter cœtera relicta etiam teſtudinem fuiſſe, eamque cum putrefacta fuiſſet, & nervi ejus extenti intra corium remanſiſſent, percuſſam à Mercurio ſonum edidiſſe, & exinde ipſius arte in Lyram tranſiiſſe, quam ſeptem inſtructam chordis, ad Atlantidum vel planetarum numerum Apollini donavit, unde *Phœbéa chelys* Ovidio: Phœbus autem Orpheo: Orpheus auctiorem duabus chordis, id eſt novem pro numero Muſarum, Muſœo lyram donaſſe fertur, & ejus precibus tandem inter aſtra locum meruit. Euſtathius ad Homerum non diſſentit, ſcribit enim χέλυν vocatam eſſe παρὰ κιθάραν, quia χελώνης, ὄστρακον μέγα, πήχεως προσθέσει καὶ χορδῶν ἐντανύσει λύραν ἀπήρτισεν Ἑρμῆς, ἣν Ἀπόλλωνι ἐχαρίσατο εἰς λύτρον ἀνθ' ὧν ἔκλεψεν ἐκείνου βοῶν. Ita quoque Lucianus: χελώνην που νεκρὰν εὑρὼν ὄργανον ἀπ' αὐτῆς συνεπήξατο, πήχεις γὰρ ἐναρμόσας καὶ ζυγώσας, ἔπειτα καλάμους ἐμπήξας, καὶ μαγάδιον ὑποθεὶς, καὶ ἐντεινάμενος ἑπτὰ χορδὰς μελῳδεῖ πάνυ γλαφυρόν. Pro citharæ alia eſt

fabula, cum eundem Mercurium autorem habuiſſe feratur: nam ex cornibus boum Apollinis iſtam concinnaſſe perhibetur, & ſi citharam penitius intueri lubet, exactè referet frontem bovis, cui cornua hærent fidibus applicatis. Strabo l. 10. p. m. 471. Citharam vel ex Thraciâ vel Aſiâ Bacchi honoribus & ſolemnitatibus deputatam primùm tranſiiſſe ſubindicat, dum ait: *ἡ μουσικὴ πᾶσα Θρᾳκία, καὶ Ἀσιᾶτις νενόμισται.* & paulò poſt: *οἵ τ᾽ ἐπιμεληθέντες τῆς ἀρχαίας Μουσικῆς Θρᾷκες λέγονται, Ὀρφεύς τε καὶ Μουσαῖος καὶ Θάμυρις, καὶ τῷ Εὐμόλπῳ δὲ τ᾽ οὔνομα ἐνθένδε. καὶ τῷ Διονύσῳ τὴν Ἀσίαν ὅλην καθιερώσαντες μέχρι τῆς Ἰνδικῆς, ἐκεῖθεν καὶ τὴν πολλὴν μουσικὴν μεταφέρουσι. καὶ ὁ μέν τις φησὶν Κιθάραν Ἀσιᾶτιν ῥάσσων.* &c. Quæ longè certiora & doctiora ſunt quàm ad Deos citharam referre, licet Strabo neſciverit quando vel unde Inſtrumenta muſica per Aſiam originem ſumſerint quæ nobis ex ſacris literis, ut veriſſimis, haurire licet, eoque Strabonis ſententiam trahere, dum ex Aſiâ omnem Muſicam deducit, cujus verus autor Tubal Cain, & à Thracibus Græcam deinde cœpiſſe ac propagatam eſſe, lyras ſcil: & citharas, quæ cum Græcis Aſiæ plagas maritimas occupantibus eò quoque migravit, ut inde *κιθάρα Ἀσιᾶτις* rectè dici poſſit, nam cœtera nomina præter *λύραν* & *κιθάραν*

θύραν Straboni barbara dicuntur, νάβλα, σαμβύκη, βάρβιτος, μάγαδις, hoc eſt à Græcis non profecta nec inventa, ſed ad imitandum in citharâ ſuâ ſubinde revocata.

Hæc ita de origine & formâ lyræ & citharæ & quibus partibus conveniant vel differant, ex nummis antiquorum oſtendere volui, ut lites illas hactenus perplexas de lyræ & citharæ diſcrimine aliquando tolleretur ex quibus porrò liquet Tranquillinam noſtram in citharâ hîc occupari, non ad lyram. Partes verò Citharæ Julius Pollux memoravit l. 4. c. 9. ſect. 3. Nam chordæ vocantur νευραὶ, χορδαὶ, λίνα, μίτοι, quòd non ſolùm ex nervis animalium ſed etiam ex filis lineis vel ſericis aptarentur, prout hodie ex orichalco & ferro, quod antiquitas ignoravit: quin τόνοι quoque dictæ ſunt, quod tendantur. Cornua citharæ dicebantur iſta retinacula, quæ in modum cornuum ſe pandunt, ſtringuntque & nervos ac fides circumdant, propriè tamen ſummitates & curvaturæ citharæ ſupra tigillum, κέρατα vocant, medium, ubi maxima longitudo, πῆχυς, hinc πήχεως ϖεὶθεσιν dixit Euſtathius, & Lucianus ϖήχεις ἐναρμόσας. Sed ultimum, ubi ventrem faciunt cornua, ἀγκῶνας. Ἠχεῖον Citharæ in fundo & baſi fuerit neceſſe eſt, aut in latere interiore cornuum, unde ſonus repercuti poſſet. Optimè illud, puto, conſpicitur

in nummo Hadriani apud Dn. de Triſtan. p. m. 484. t. 1. Tigillum transverſum ex quo chordæ tenduntur, Græci arundinem κάλαμον, δόνακα, dixerunt, & locum habebat in Citharâ ubi curvaturæ cornuum incipiunt: Lucianus meliùs, καλάμους ἐμπήξας extulit, nam erant duo calami arte juncti inter quos chordæ ducebantur & tendebantur. Supra tigillum hic eminent clavi chordarum acuminati, per quos chordæ tendebantur, applicato inſtrumento, quod ideò χορδότονον dicebatur, clavi ipſi, κόλλωπες. Rarò iſtos expreſſerunt ſculptores nummorum, ut minutias, quæ oculos fugere ſolent, nec Nummographi ſatis attentos ſe præbuerunt; nemo hactenus nominavit aut monſtravit. In nummo Antonini Pii, apud Dn. de Oiſel tabula 38. fig. 2. omnium optimè ſe dant & ſunt expreſſi clavi Citharæ, eſt igitur inſpiciendus; neſcivit verò, quid hoc rei eſſet, ut videre licet apud eundem in nummo Augusti tab. 1. fig. 8. ubi loco clavorum qui exſtabant, chordas ipſas ſupra tigillum exeuntes fecit. Aliud Tigillum inferius erat citharæ, quod itidem pro chordis colligendis inſertum, Pollux ὑπολύριον, Lucianus μαγάδιον ὑποτιθεὶς reddidit, ut ex nummo Hadriani obſervare poſſumus. Plectrum quod Pollux partem citharæ fecit, eſt extra citharam, ita tamen pars ejus quando ſine

plectro

plectro pulſari nequit. In nullo nummo tam accuratè plectrum in manu ludentis eſt expreſſum, ut in noſtro, quamvis ſculptor meus in ære non accuratum dederit; habet ab utraque parte manubrii hamos veluti ſuos, & credam facilè in poſteriore parte χορδότονον contineri, quo κόλλωπες & chordæ in harmoniâ deficientes reſtituuntur, in anteriore verò ipſum plectrum, quo chordæ pulſantur. Senecæ Tragico dicitur leve plectrum, *Levi canoram verberans plectro chelyn.* Quòd non adeo grande eſſet nec pondere nec corpore; nam ex ebore vel ligno lævigato plerumque facta legas, non ex argento vel ære, aliisvè metallis, quæ chordas dilaniare ſolent inimicis ictibus. Peculiares artifices pro illis concinnandis apud Græcos exſtitiſſe monet Pollux, qui πληκτροποιοὺς illos dictos fuiſſe docuit. Primus qui ſine plectro Citharam pulſavit fuit Epigonus. Ἐπίγονος ἦν γένει μὲν Ἀμβρακιώτης, τιμῇ δὲ Σικυώνιος, πρῶτος ἐπικρούσας ἄνευ πλήκτρου Teſte Polluce. Cui adſtipulatur Athenæus l. 4. de Epigono loquens: μουσικώτατος ὢν, inquit, κατὰ χεῖρα δίχα πλήκτρου ἔψαλλεν. Erant verò tempora, quibus ſine plectro pſallere, non ſolùm indecorum habebatur apud Græcos, ſed etiam pœnâ dignum viſum fuit, ut de Lacedemoniis perhibet Plutarchus: ψάλτην, ait, ἐπιδημήσαντα ἐζημί-

μίωσιν, ὅτι δακτύλοις κιθαρίζει. Erant verò citharæ quædam aut Inſtrumenta quæ ſine plectro ſolebant cani, ut Μάγαδις & πηκτὶς, ſicut refert ex Ariſtoxeno Athenæus l. 14. τὴν μάγαδιν καὶ τὴν πηκτίδα, χωρὶς πλήκτρου διὰ ψαλμοῦ παρέχεσθαι τὴν χρείαν. Omnia verò quæ unquam ſcriptis prodita ſunt de Citharæ pulſu, ad hunc nummum nihil omninò ſunt, adeò ille omnes actus ludentium ad unguem exprimit. Iſtam corporis poſituram & κλίνην attende, manus deinde applicatas; quomodo ſiniſtra chordas ab alterâ parte verſet & percurrat, quod intus canere dixerunt. Maximè verò quomodo dextram cum plectro ſupra caput ipſum ferat, ad chordas inſigni pulſu ab hoc latere percellendas, quod foris cavere veteribus fuit; quomodo pedem arcæ admoveat, ut fortiùs & validiùs ſonum eliciat, alterum pedem ad motus & tempora certa conficienda compoſitum habeat, & niſi oculi me fallunt τὴν νήτην jam ruptam conſpicio: id quod etiam artis eſſe ducunt, reliquis chordis idem præſtare, quod integris effectum priùs dabant. Neque dubium eſt, quin voce canorâ & modulis elegantioribus citharam juverit, ſuamque muſicam gratiorem reddiderit, cum præcipuum in voce ſitum fuerit, nec meros κιθαριστὰς, cum κιθαρῳδοῖς eodem honore Antiquitas proſecuta ſit.

Re-

Regium non erat aut heroïcum, κιθαρίζειν sed κιθαρῳδεῖν, ut ex Nerone argumentum sumere licet, qui Tragœdias ad citharam cantasse scribitur quæ erant antiquorum προχορδάσματα & προσῳδίαι dictæ. Et quidem cum cantu Cithara antiquior est citharâ sine cantu. Nec queinquam turbare debet Plinii locus l. 7. c. 56. ubi citharæ cantus sine voce præponitur, dum ait: Citharâ sine voce cecinit Thamyras primus, cum cantu Amphion, vel ut alii Linus. Nam Amphion ætate præcedit Thamyram 167. annis. Si verò Linus constituatur cantus ad citharam auctor, adhuc Thamyras paucis annis ætate inferior erit, sedecim nempe secundum Eusebium. Illud itaque dicendum erat, cantum ad citharam eandem cum ipsâ citharâ ætatem præferre, Statimque citharâ inventâ, cœpisse homines κιθαρῳδεῖν, hoc est, ᾄδειν καὶ κρούειν, quod etiam subindicat Plinius eodem loco, dum citharam invenisse dicit Amphiona vel Orpheum vel Linum. Nec dissentit Plutarchus in musicis, qui τὴν κιθαρῳδίαν καὶ τὴν κιθαρῳδικὴν ποίησιν Amphiona Jovis & Antiopæ filium excogitasse primum memoravit. Quid verò sit, quando Plutarchus Archilochum introduxit τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν πρῶτον εὑρεῖν, τοὺς δ' ἀρχαίους πάντας προσχορδακρούειν, non satis capio, nisi illud

illud voluerit dicere, cantu Citharœdum non ſemper inſtitiſſe, ſed aliquando ceſſaſſe, & ſolâ citharâ interludium feciſſe, ut ſolent hodie Itali, *per i ritornelli* cantum ſuſpendere, huncque modum fortè Archilochum in citharæ cantu ſervaſſe primum, ut caneret ſine fidibus, mox fides pulſaret ſine cantu, rurſus caneret & rurſus pulſaret, haſque vices in cantu & citharâ à veterum inſtituto diſceſſiſſe, qui ſimul & canebant & pulſabant, quæ προσχορδάσματα Pollux vocavit, Plutarchus hîc προσχορδιακρούειν dixit. Quis autem Archilochus hoc dicetur inſtituiſſe? nam duo fuerunt Poëtæ, Parius alter, ſub Romulo, alter Lacedæmonius, qui Romæ floruit ſub Tullo Hoſtilio, niſi unus idemque ſit. Alter locus eſt apud eundem Plutarchum eodem libello, ubi annotavit, τῶν Ἰαμβείων τὰ μὲν λέγεσθαι πρὸς τὴν κροῦσιν, τὰ δὲ ᾄδεσθαι: ubi illud λέγεσθαι nihil aliud ſignificat quàm Jambica quædam cani ad citharam, quædam ſolâ voce ſine citharâ, vel citharâ ceſſante. Thamyras autem vel Thamyris, qui primus ψιλοκιθαριστικῇ delectatus fuiſſe videtur, & ſine voce citharam placere fecit, vixit ſecundum Euſebium A. M. 2716. Ante Chriſtum 1248. Ammonis filius, quod rectiùs intellexit Scaliger Philammonis filium ex Græcis Euſebianis reponendo. Erat autem Philammon quoque Muſicus

ficus & Citharœdus egregius. Hac igitur ætate cœpit ψιλοκιθαριστικὴ Græcis dicta, quòd nudâ citharâ canerent, nullâ voce adhibitâ, quod Strabo l. 9. disertè testatus est in Pythiis ludis Amphictyonas addidisse, τοῖς κιθαρῳδοῖς αὐλητάς τε καὶ κιθαριστὰς χωρὶς ᾠδῆς. Athenæus l. 14. de Lysandro Citharistâ Sicyonio: μετέστησε τὴν ψιλοκιθαριστικὴν μακροὺς τοὺς τόνους ἐντείνας, καὶ τὴν φωνὴν εὔογκον ποιήσας, καὶ τὴν ἔναυλον κιθάρισιν, καὶ περιελὼν τὴν συντονίαν τὴν ὑπάρχουσαν ἐν τοῖς ψιλοῖς κιθαρισταῖς χρώματά τε εὔχροα ἐκιθάρισεν; unde conjicio Tranquillinæ nostræ cantum non fuisse ψιλοκιθαριστικὸν, tum quòd nudæ cithæristriæ ejus ætate inter infames penè & proletarias positæ essent, tum verò etiam, quòd cithara ejus non habeat faciem ψιλοκιθαριστικῆς, nec illos μακροὺς τόνους quos ad εὔογκον φθόγγον producendum requiri jam audivimus, sed cum citharâ satis angustâ & breviculâ compareat. Facit huc illud Quintiliani l. 1. Instit. Orator. c. 12. *An verò Citharœdi non simul & memoriæ, & sono vocis, & pluribus flexibus serviunt? cum interim alios nervos dextrâ percutiunt, alios lævâ trahunt, continent, probant, ne pes quidem ociosus, certam legem temporum servat, & hæc pariter omnia?* Observa jam nummum Tranquillinæ, dices sculptorem nummi, & scriptorem Quintilianum certasse,

se, uter omnia citharœdica perfectiùs exprimeret.

De chordarum numero deinceps mihi dicendum erat, sed oceanum mihi videor ingredi, ubi fluctus me abripient contra rationem, ita nihil certi neque pictores reliquerunt, neque scriptores hodierni. Sculptoribus sanè & monetariis antiquis fidem aliquam habendam video, qui quod viderunt expresserunt: at qui nummos hodie delineant vel describunt, num in his curam adhibent? nonne tot chordas in citharâ pingunt, quot sub manu commodè nascuntur, & quot cithara capere posse videtur? Monstravi jam in lyris binis, quas Trajani nummus præfert, non nisi quatuor chordas apparere, Dn. de Tristan tamen in simili nummo Nervæ, quatuor paria, vel octo chordas in singulis pingi fecit, cum octo chordæ rariùs in citharis, in lyris multò minùs animadverterim, nec antiquis per paria distinguantur. In citharâ divinâ Veneris nostræ Tranquillinæ non nisi quinque chordas observare mihi licuit: & si plures mihi nummos nunc vacaret sub censuram oculorum revocare, in quibus occurrunt citharæ, certò scio me plures chordas in depictis, quàm in archetypis deprehensurum. In nummo Augusti apud Dn. de Oisel. tab. 1. fig. 8. Apollo vel Orpheus, vel quis alius Deaster citharam septem chordis in-

ſtructam ſedens ſine plectro verſat. Tab. 37. ubi Apollinis imagines producit in nummo Caracallæ cum citharâ quatuor chordarum illum pinxit, fig. 3. ſex chordas fig 4. in nummo Æmiliani videbis, ut & in nummo Neronis tab. 38. fig. 1. quatuor paria, vel octo chordas in nummo Gallieni fig. 5. & tamen decachordam hanc citharam fuiſſe in explicatione ſuâ dixit. Octo chordas non per paria, ſed æqualibus intervallis, in nummo Antonini Pii finxit pictor tab. 38. fig. 2. ubi quoque κόλλωπας vel clavos Citharæ rectè expreſſos dixi, ſed Dn. de Triſtan, qui eundem nummum t. 1. p. 575. produxit, non niſi ſex chordas in citharâ Apollinis pingi fecit, unde diſſenſus Scriptorum in talibus minùs accuratè penſitantium manifeſtus eſt. Uterque autem citharam chordis repletam ab uno latere ad alterum nobis dedit, ut hinc plures chordas quàm quatuor liceat ſtatuere, ſed numerum certum nequaquam inire. In nummo Treboniani Galli rurſus 4. chordæ fig. 9. & quatuor vel quinque chordæ in nummo Augusti fig. 12. ita ut Fulgentii ſententia ex his nummis Apollineis ſervari nequeat, qui cum decachordâ citharâ Apollinem pingi ſcripſit, quod ſit decima Muſa, & decem modulamina vocis humanæ dentur: hic enim quatuor & quinque chordas etiam in Citharâ Apollinis ob-

lectasse & suffecisse videmus: ibi quoque plectrum in manu Apollinis Actii cernitur, sed nostrum longè distinctiùs in manu Tranquillinæ. Varias quoque citharарum formas & compages illic observare poteris. Apud Dn. de Tristan in nommo Augusti, Apollo Actius citharam trium chordarum gestat. t. 1. p. 77. Chalcidius in Timæum p. 122. citante Tristan p. 369. t. 1. octo chordis veteres usos credit, quorum princeps erat ὑπάτη, edens gravissimum sonum, ultima verò νήτη, edens acutum, indeque cantilenam ἐπόγδοον διὰ πασῶν natam. Cithara in nummo Hadriani æreo elegans & integra apud Dn. de Tristan t. 1. p. 384. non nisi 4. chordas habet. Macrobius l. 1. Saturnal. c. 17. Apollinis lyræ septem chordas tribuit. In nummo Nysæorum apud Dn. de Tristan. t. 1. p. 730. Apollo ad tripodem stans citharam ante se reclinatam ad monticulum habet, quæ quatuor solùm chordas præfert bené distinctas, illudque singulare habet, quod non uno tigillo sit instructa, ut reliquæ citharæ, sed duplici, altero, ex quo chordæ descendunt, altero, per medium citharæ ducto, sed ad compagem ipsam meliùs continendam. Illud autem tignum jugum citharæ vocatum crediderim, eóque respexisse Lucianum dicentem, πήχεις ἐναρμόσας, καὶ ζυγώσας. In additionibus suis Tri-

stan

ſtan t. 1. p. 5. fig. 8, & 9. nummos Apollinis produxit Citharam impoſitam habentis tripodi cum quinque chordis. Quæ omnia nos docere poſſunt, initio citharas paucioribus chordis inſtructas antiquis fuiſſe, mox tractu temporis ad majorem numerum chordarum perveniſſe, & quidem à tribus chordis ad decem, nam ultra decachordam citharam apud veteres non reperio. Sed ut chordarum numerus crevit, ita quoque citharæ corpus capacius effecerunt, hinc eſt quod nonnullæ citharæ breviores, majores aliæ, etiam in nummis compareant. Nam Plinius à mole exiguâ & fidibus citharam *fidiculam* nominavit; & Germanis Belgiſque vocem *Fiddel* inde manſiſſe non dubito, licet hodie in formam aliam mutata ſit; Rurſus apud Heſychium majoris molis eſt κιθάρα ἡ τοῖς ὤμοις φερομένη, eamque propriè φόρμιγξ vocavit, adeo grandis, ut humeris portari deberet, quâ in re φόρμιγξ non multùm abiit ab hodiernis harpis noſtris, quas videmus plurimis chordis inſtructas, & ejus magnitudinis, ut humeris imponi & afferri debeat.

Quod S. Hieronymus Citharam ad formam Δ. literæ effici, & chordis 24. illigari, tum per digitos variis vocibus tinnulliſque ictibus in diverſis modis concitari ſuo tempore ſcripſit, vereor, ut aliquid cum noſtra citharâ rei habeat, nam He-

bræorum & Assyriorum instrumenta musica, non fuisse pervia, aut ita concinnata, ut intus & foris ab utroque latere pulsari possent, sicut Græca, satis observo; sed corpus aliquod concavum & tinnulum ex levibus asciis in varias formas componebant, cui ἠχεῖον in medio dabant, & sic chordas superinducebant, quas dextrâ solâ pulsare poterant, sinistrâ vel nihil agente, vel modos certos in chordis scitè comprimendis formante, cujus commatis pleraque hodiernorum musicorum instrumenta novimus esse. Igitur cum Aristotelis problemata ψαλτήρια τρίγωνα nobis commemorant, facilè & illud evincit hunc librum Aristotelis non esse, sed aliunde suppositum fœtum seriùs accessisse. Quæ igitur sic comparata sunt instrumenta, πανδούρας potiùs quam citharas vocaveris, nam ita Pollux Assyriorum inventum τρίχορδον πανδοῦραν nominavit. σανὶς τετράγωνος ὑπόκυφος, δεχομένη ἐφ' ἑαυτῇ τὰς κιθάρας νεύρας, καὶ ἀποτελοῦσα τοὺς φθόγγους dicit Suidas & Hesychius. Quæ πανδοῦραι probè distinguendæ veniunt à citharis; licet apud Auctores sæpe confundantur, ut ut sint diversæ originis & formæ. Neque enim cithara aut τρίγωνος aut τετράγωνος propriè dici posset, cum eam formam nunquam habuerit. Colla his trigonis & tetragonis addi, recentius inventum

est,

eſt, antiquis ignotum: ſiquidem in panduris digitis nervos comprimere non didicerant prout hodie facimus, ſed digitis aut plectris ea pulſare ad harmoniam efficiendam. Nihil autem mirum eſt, ſi inſtrumentis ejusmodi Perſicis, Aſſyriis, Hebræis, Indicis, aliorumque in Oriente populorum Græci Græca nomina ex ſuis impoſuerint Citharas, lyras, Μαγάδας, Πηκτίδας, Ψαλτήρια, iſta τρίγωνα & τετράγωνα orientalium ὑπόκυφα vocitando, cum æquè & chordis ἐντατὰ eſſent, & plectris manibuſque pulſarentur ut Græca. Nam ſicut inſtrumenta Græcorum omnia ex citharâ & lyrâ formam mutuata ſunt, & originem duxerunt, ita ex trigonis & tetragonis ὑποκύφοις orientalium cœtera fluxerunt, ut propterea legentes apud Athenæum Ψαλμοῖς τριγώνων, πηκτίδων τε Περσικῶν, neque trigona, neque citharas Perſicas Græcorum more fuiſſe fabricatas intelligere queamus, ſed more illis proprio, jam dicto & expoſito. Ita cum μάγαδις vel μαγὰς dicitur σανὶς τετράγωνος ὑπόκυφος, ut ſuperiùs adduxi, facilè videmus hanc μάγαδιν non conſentire cum Μάγαδι Græcâ, cujus meminit Plato Polit. 3. Μάγαδις ὄργανον ἐςὶ ἐντατὸν καθάπερ καὶ κιθάρα, λύρα, βάρβιτον. Μάγαδις autem adeò commune nomen inſtrumentis muſicis fuiſſe reperitur, ut etiam

 ad

ad tibias, quæ non sunt inter ἐντατά, relata sit, nam Massurius ex Didymo apud Athenæum l. 14. μάγαδιν αὐλὸν ἀκούει τ̓ κιθαριστήριον: sic etiam l. 4. Μάγαδις καλούμενος αὐλὸς, ὁ καὶ παλαιομάγαδις ὀνομαζόμενος. Unde Athenæus, Suidas, & alii, neque quid μάγαδις, neque quid πηκτὶς essent aut differrent satis statuere potuerunt, quod orientalium & Græcorum instrumenta musica facie & fabricâ planè diversa semper confunderent. Et Henricum Stephanum corrigendum censeo, qui πηκτίδα manichordium aut symphoniacum instrumentum fuisse suspicatur, quadratum, oblongum, hodie musicis satis notum, æreis ferreisque intentum nervis. Nam sive Lydorum vel Persicam πηκτίδα conceperit, à manichordio tamen longè abfuisse formam credimus, cum sciamus manichordia non aliter quàm meris plectris impelli & pulsari: πηκτίδας autem Aristoxenus disertè sine plectris, solis manibus tractari scripserit. At si Græcorum πηκτίδα voluit intelligi, malè rursus manichordium congruit, quod planè originis Græcæ non est, nec ejus chordæ manibus unquam tanguntur, sed singulis chordis singula plectra videmus data, cum tamen πηκτὶς instrumentum sit Græcorum, quod intus & foris more Græcorum pulsari potest, & à citharâ differt tam numero chordarum, quam

quod

quod altior fuerit, communi citharâ, nam ideò ὑψηλὰ πηκτὶς Pindaro dicta fuit. Unde mirari licet, cur Pictores Davidi Regi citharam aut μάγαδιν Græcam hactenus tribuere maluerint, nec de trigono, aut tetragono ψαλτηρίῳ musico, Judæis proprio, ipsi procurando cogitarint: Hallucinari quoque interpretes puto, qui Suidæ μαγάδα τετράγωνον & σανίδα ὑπόκυφον interpretati sunt fulcrum seu pontem illum, super quo citharæ nervi contenduntur, quem nos Germani *den stoel*, & in aliis *dat steg*, vocare solemus, quod Boëthius hemisphærium forte dixit. Juvare vellemus Suidam & interpretes ex Luciano, qui μαγάδιον quoque nominavit inferius tigillum, quod chordis illic firmandis subservit, ideoque chordas quoque recipit, sed cum σανὶς ὑπόκυφος non fuerit illud μαγάδιον, licet quoque τετράγωνον, ut in nummo Hadriani Imp. satis perspicuè monstrare licet, non video quâ ratione Suidæ verba in illum sensum commodè trahi possint, quin potius σανίδιον dixisset Suidas, non σανίδα; Haud enim σανὶς est quodvis lignum, sed tabula tenuis in asseris modum extensa, cujus cum gibbum quoque convexum & ὑπόκυφον tribuat, imò talem virtutem quod sonos edere queat, φθόγγον ἀποτελεῖν. Quomodo illud huic fulcro vel ponticulo conveniat, non satis percipio.

Nihil enim ad ſonos eliciendos facit ille pons; ſed ad chordas ſolùm diſponendas, ne ſub plectro confundantur, aut aliter tangantur, quàm manus ludentis requirit. Unde nonnulli lexicographi meliùs *μαγὰς* interpretati ſunt tabulatum, quod chordas recipit, & ſuper quo chordæ tenduntur. Deinde ponticulus ille in unico tantùm inſtrumento hodie locum habet, non in aliis, in illo nempe, quod *les violons* vocamus, Germani fidiculam, *eene fiedel.* An Suidæ tempore qui vixit ſec. XI. ejusmodi fidiculæ cum hoc apparatu notæ fuerint, neque negem, neque affirmem: antiquioribus ignota fuiſſe hæc omnia ſatis conſtat: ita ut *μαγὰς ὑπόκυφος* Græcis nihil aliud ſit, quàm illud tabulatum incurvum ſuperius inſtrumenti muſici, ſuper quo chordæ tenduntur, ex quo *μαγάζειν, μαγαδίζειν* & *μάγαδις* ipſa nomen traxerunt, ita ut Suidas ipſe, ſi in hac ſententiâ fuit, falſus fuerit & fefellerit, nam quod addit *καβάλλω, τὴν τῆς κιθάρας ἢ λύρας τὰς νευρὰς βαστάζουσαν*, aliud quid eſt, quàm iſte ponticulus de quo jam diximus, neque hæmisphærio ſimilis, neque *σανίδι ὑποκύφῳ*, ſed eſt illud *μαγάδιον* Luciani, quod Germanis *dat ſteg*, Gallis *le chevalet*, puto dici ſolet, adeò ut interpretes Suidæ ipſi planè dubitent, quò referre velint, cum etiam ad *κόλλωπας* Citharæ quæ Gallis *chevilles*, tan-

dem

dem trahere perrexerint, velut ex ipſo Suidâ legi poteſt Non ita Græci in Aſiâ, vel ubi morabantur, ſed citharis perviis, ab utroque latere canentibus, quales jam multas ex nummis produxi, videmus uſos.

Illæ Citharæ ex ligno & ebore & auro multo interſtinguebantur, unde eſt quod Poëtæ ebur pro citharâ ſæpe poſuerint, & quod Plutarchus de Zenone Philoſopho retulit, huc ſpectat, qui citharas ξύλα καὶ ὀστᾶ λόγου καὶ ἀριθμοῦ μεταχόντα dixit, nam ſic inquit de virtut. moral. Ζήνωνά φασιν εἰς θέατρον ἀνιόντα κιθαρῳδοῦντος Ἀμοιβέως πρὸς τοὺς μαθητὰς, ἴωμεν, εἰπεῖν, ὅπως καταμάθωμεν, οἵαν ἔντερα καὶ νεῦρα καὶ ξύλα καὶ ὀστᾶ λόγου καὶ ἀριθμοῦ μεταχόντα καὶ τάξεως ἐμμέλειαν ἡ φωνὴν ἀφίησιν. Auro citharas ornatas Homerus jam ſcivit χρυσείην φόρμιγγα vocans, & dixit Virgilius

—— —— citharâ crinitus Iopas
Perſonat auratâ —— ——

Et quod affabrè polirentur, etiam γλαφυρὰς Homerus appellavit. Chordas citharæ variis coloribus tinctas fuiſſe nos docent antiqui Poëtæ, ut ille apud Suidam, μιλτοφυῆ τε σχοῖνον ὑπ' ἀκρωνύχῳ ψαλλομένην κανόνι, quales tincturas in chordis etiam hodie retinemus. Hujus

jus autem citharæ formam, qualem jam descripsimus Cepionem Terpandri discipulum primùm tradidisse & introduxisse monuit Plutarchus in musicis, & formam hanc Asiaticam vocatam addit, quod à Lesbiis Asiatici didicerint imitari, nam Lesbios Asiam accolentes præ cœteris citharâ inclytos fuisse, qui à Terpandro usque ad Pericletum, Lacædemone citharâ in Carneis ludis vincentem, successionem quandam perpetuam citharœdicam, ut Academiam vel regnum instituerant. Miror tamen Lesbiorum nummos tam obstinato silentio circa hanc artem agere, & præter sappho cum citharâ neminem nobilitasse.

Quod itaque de paucis principiò chordis in citharâ diximus, Plutarchus in musicis eleganter asseruit, & plus artis subfuisse monstrat, non enim ignorasse veteres plures chordas adhibere, & quid illæ sonare possent, sed studiò sectatos fuisse ὀλιγοχορδίαν, ut scilicet tribus chordis plus præstarent quàm pluribus alii. Locus nimium est eruditus, quàm ut omitti queat. Sic enim ait. Οὐ γὰρ ἡ ἄγνοια τοιαύτης στενοχωρίας καὶ ὀλιγοχορδίας αὐτοῖς αἰτία γεγένηται, οὐδὲ δι' ἄγνοιαν οἱ περὶ Ὄλυμπον καὶ Τέρπανδρον, καὶ οἱ ἀκολουθήσαντες τῇ τούτων προαιρέσει περιεῖλον τὴν πολυχορδίαν τε καὶ ποικιλίαν. Μαρτυρεῖ γοῦν τὰ Ὀλύμπου τε καὶ Τερπάνδρου ποιήματα, καὶ τῶν

τού-

τούτοις ὁμοιοτρόπων πάντων. τρίχορδα γὰρ ὄντα καὶ ἁπλᾶ διαφέρει τῶν ποικίλων καὶ πολυχόρδων, ὡς μηδένα δύνασθαι μιμήσασθαι τὸν Ὀλύμπου τρόπον, ὑστερίζειν δὲ τούτους ἐν τῷ πολυχόρδῳ τε καὶ πολυτρόπῳ καταγινομένους. Cum igitur τρίχορδοι essent primò Citharæ, singulis quoque chordis sua nomina fecerunt, nam suprema chorda dicebatur ὑπάτη; secunda, μέση, & ultima νήτη vel νεάτη, quorum ὑπάτη gravem sonum edebat & erat loco *bassi*, ut nos loquimur, νήτη, acutum & nostro more Discantum referebat; μέση medium quid sonabat inter gravem & acutum. Μονόχορδον Arabum inventum, & τρίχορδος πανδοῦρα, Assyriorum, apud Pollucem l. 4. c. 9. ad citharas non spectant Græcorum, nihilque simile habent quoad formam, corporis externam, quod superiùs monui, sed etiam illos orientales tribus chordis aliquando cecinisse ut Græcos in citharis, hic est quod notari volumus. Postquam accessit una chorda & cithara τετράχορδος facta fuit, eadem nomina: nam prima dicta est ὑπάτη; secunda μέση; tertia, παραμέση; quod mediam sequeretur, vel mediæ adjaceret, & quarta, νήτη. Ideo cum Martianus Capella τετράχορδα sibi præcipuè describenda sumeret, quod præ cœteris aut perfectiora viderentur, aut magis in usu forent, *Tetrachordum* ait, *esse quatuor so-*

norum

norum in ordine positorum congruentem ac fidam concordiam. Pulchrè verò Vitruvius docuit l. 5. c. 4. hujus instrumenti tetrachordi quinque genera fuisse, h. e. diversæ magnitudinis citharas, licet quatuor chordas tantùm continerent: nam maius tetrachordum dictum esse ὕπατον, illi proximum, μέσον; tertium συνημμένον, quartum διεζευγμένον & quintum ὑπερβολαῖον: quemadmodum Germanis hodie dicuntur *de groote Basgeige, de kleyne Basgeige, Tenorgeige, Altgeige,* & *discantgeige.* Omnia tetrachorda Quibus addit Martianus Capella l. 9. Primum & ὕπατον τετράχορδον, *quod est gravius, incipit à principali principalium, & desinit in principalem medianum.* Unde de reliquis proportionibus judicare possumus. Hocque discrimen in omnibus citharis seu ὀλιγοχόρδοις seu πολυχόρδοις observatum fuisse puto, ut & in aliis instrumentis musicis, tibiis videlicet, pandoris, teorbis, quando χορηγεῖν, id est chorum integrum musicum instrumento quodam constituere desiderabant: unde colligere licet, citharam, cum quâ Tranquillina, Venus Augusta, conspicitur, fuisse ex ὑπερβολαίοις & minoribus acutissimi soni, vel διεζευγμένοις, si fortè major cuiquam videtur. Jam verò etiam hinc constare potest, has in citharis chordas, licet ejusdem longitudinis essent, non fuisse,

ejus-

ejusdem quoque corporis; nam quæ gravem edere debebant sonum, crassiores oportet esse, ut graciles, quas acutum sonare volumus, quod etiam agnoscit Porphyrio in Sambucâ, triangulo instrumento musico, quod ex inæqualibus longitudine sicut & crassitudine nervis efficitur, teste Henr. Stephani lexico in voce Σαμβύκη. Pergimus ad quinque chordas in citharâ, quas etiam ex nummis aliquot monstravi, & hæc ipsa Tranquillinæ cithara inter πενταχόρδους nomen profitetur. Sed cum Pollux πενταχόρδον Scytharum inventum dicit, ἱμᾶσιν ὠμοβοΐνοις καθημμένον, αἰγῶν δὲ χηλὰς τὰ πλῆκτρα esse, nolim de citharâ sermonem ipsi esse credas, sed de barbaro instrumento, barbarè compacto, barbarè pulsato, barbarum quoque sonante, nam ut asinis cardui lactucæ sunt, ita Scythis non mirum est pro chordis ἱμάντας fuisse, & quidem ὠμοβοΐνους, hoc est, non solùm bovina lora rudia, crassa, informia, sed etiam cruda, & illis similia plectra, maxillas nempe caprarum, ut in illis πεντάχορδον κιθάραν ἐναρμόνιον quærere absurdum planè sit. Græci in his accuratissimi peculiares officinas ad nervos & chordas arte præparandas habebant, illorumque opifices & artifices νευροποιοὺς vocabant, qui verò νευροεργοῖς & citharœdis venum exponebant nervos & chordas, merca-
tu-

turam eorum singularem instituentes, νευροπῶλοι veteribus appellebantur, ut est apud Pollucem. Tanta his hominibus & citharæ & chordarum erat cura, ne nostro seculo ejusmodi diligentiam primùm natam quis autumet, ut de νευρορράφοις nihil nunc dicam, quod artificium elegans & vetustum apud nos obsolevit, ad Lappones, Brasilienses, Garamantas & Indos tanquam barbarum quid relegatum. Phrynis autem Mitylinæus qui Olymp 75. vixit & Athenis citharâ primus vicit, videtur quinque chordis primum usus esse, nam ita de illo legitur.

Φρύνις δὲ ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλὼν τινα
Ἐν πέντε χορδαῖς δώδεκα ἁρμονίας ἔχων.

Unde Plutarchus dixit Terpandri κιθαρῳδίαν usque ad Phrynidem simplicem mansisse, neque enim licuisse quondam, prout Plutarchi ætate, citharam pulsare, & harmonias aut rythmos transferre, sicut tunc usuvenerat, erant enim antiquis certi νόμοι, quos egredi & indecorum censebatur & ἄμουσον. Qua ratione sub Phrynide ὑπάτη, παρυπάτη, μέση, παραμέση, & νήτη, chordæ, locum in citharâ cœperunt habere, placuitque Tranquillinæ, ut ita dicam Φρυνίζειν, ejusque Citharœdi στρόβιλον amœnum & excitatum imitari. De sextâ chordâ nihil invenio, neque quando quis addiderit, neque

que quo nomine vocata fuerit. Septem chordas passim Scriptores citharæ tribuunt, quare ἑπτάτονον ὀρείαν χέλυν Euripides vocavit, & Lucianus ipsum Mercurium inventorem lyræ & citharæ septem chordis eam statim instruxisse scripsit, quod & alii prodiderunt. Plinius Terpandro tribuit l.7. c.56. cujus commentarii addunt à quatuor chordis Terpandrum processisse ad septem, quod ex Strabonis l. 13. petitum est. Fuit autem Lesbius Terpander ex civitate Methymnâ, vel Arnâ vel Antissâ, unde successio Lesbiorum Citharœdorum cœpit, fuitque Lesbius citharæ cantus omnium dulcissimus. Virgilii versus 6. Æneid. huc facit.

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Alius Philemoni tribuit septem chordarum usum, Non dubito hunc Philemonem esse, qui alius Philammon dictus fuit, nobilis & insignis Musicus, Delphicus patriâ, quem Eusebius longe ante Olympiadas posuit, circa An. Mundi 2684. annis 1180. ante Christum. Qualis Eusebii Chronologia an vera sit, non est hujus loci ut in illam inquiri possit. Positâ verò hac Chronologiâ Terpandrum longè post Philammonem vixisse discemus, utpote quem idem Eusebius Olympiad. 33. anno secundo

flo-

floruiſſe memorat, An. ſcil. M. 3319. ſexcentis triginta quinque poſt Philammonem, ita ut Strabonis & Plinii ſententiam, & qui eum ſequuntur ſervare non poſsimus, qui Terpandro ſeptem chordarum uſum primò tribuerunt. Nam πολυχορδίαν adeò antiquam fuiſſe, & inprimis ſeptem chordarum numerum, ut ad ipſum autorem Citharæ Mercurium veteres ferè omnes referendum putarint, jam ante dixi, id quod veteribus, ut in Chronologiâ minùs verſatis ſæpius uſuveniſſe videmus, ad Θεὸν ἀπὸ μήχανῆς protinus recurrendo, quoties nihil certi ſtatuere liceret. Terpander, tantum abeſt, ut ſeptem chordas citharæ dederit, ut potiùs ad ὀλιγοχορδίαν illam redegerit & tres chordas, prout ex Plutarcho rationem afferente & artem ſuperius aſſertum dedi. Philammonis igitur inventum ſit ſeptem chordis citharam pulſare, Olympi & Terpandri, tribus chordis idem præſtare vel quatuor, neque tamen ἑπταχόρδους λύρας propterea deſiſſe ſtatuendum fuerit. Nam prout Olympus & Terpander citharœdicam quidem intuliſſe dicuntur in Græciam, non ut autores Citharæ aut κρουμάτων, noverant enim eam ante Olympum & Terpandrum, ſed quod ſecundùm artem nihil priores in citharâ fecerint, ideo Ὄλυμπος ἀρχηγὸς τῆς ἑλληνικῆς καὶ καλῆς μουσικῆς & τοῦ

ἐναρμονίου γένους ἀρετὴς Plutarcho celebratur, additque, περὶ ἐκείνου πάντα διάτονα καὶ χρωματικὰ fuisse Olympum verò & Terpandrum in artem pulcherrimam & στενοχωρίαν citharæ modos redegisse. στενοχωρίαν vocat illud spatium, quo cornua citharæ tigillo vel calamis sejunguntur, illud quò fuit amplius & longius, eò plures chordas capere poterat, quò verò brevius & angustius, paucioribus locum faciebat. Hoc igitur Olympus & Terpander præstitisse dicendi sunt, ut τὸ ἐναρμόνιον paucis chordis absolverent, τὸ δὲ χρωματικὸν πολύχορδον rejicerent: Et videtur mihi, illam quam Terpander reperit citharam paucis adeò chordis instructam propriè barbiton fuisse dictam, nam & Pindarus & Athenæus Τερπάνδρον dixerunt βάρβιτον reperisse ἀντίφθογγον τῇ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι, quo etiam respexit Horatius dicens

Lesboum tendere barbiton.

Erat enim Terpander Lesbius, & maximè quod barbiton, in cœnis ut adhiberetur commodiùs, excogitatum esse dicatur, ἐν δείπνοισι, ait Athen. l. 14. cui hodie *la musique du cabinet* convenit, ubi paucioribus chordis res agi poterat, quàm in publico; adeo ut si Terpandrum ἑπταχόρδου κιθάρας autorem contra Plutarchum introducere animus sit, utramque Citharam & τετράχορδον & ἑπτάχορδον in meliùs ab ipso restitutam &

ἁρμονικοτέρως pulsatam dicere possimus, adeò mutatâ musicâ, ut utriusque autor haberi debeat: nam non minùs τρίχορδα & τετράχορδα ante Terpandrum fuisse concedo, sed minùs ἐναρμόνια. Usus igitur fuerit barbito tetrachordo vel trichordo in cœnis & conviviis, ἑπταχόρδῳ in publico, quando quater Pythia vicisse Terpander Plutarcho dicitur. Nam & Plutarchus quando de Olympi & Terpandri citharâ illorumque arte musicâ differit, in quibus illa versata fuerit, plurium chordarum quàm quatuor mentionem injicit. ὑπονοοῦσι δὲ τὴν εὕρεσιν ait, τοιαύτην τινὰ γενέσθαι. ἀναστρεφόμενον τὸν Ὄλυμπον ἐν τῷ διατόνῳ καὶ διαβιβάζοντα τὸ μέλος πολλάκις ἐπὶ τὴν διάτονον παρυπάτην, τότε μὲν ἀπὸ τῆς παραμέσης, τότε δὲ ἀπὸ τῆς μέσης, καὶ παραβαίνοντα τὴν διάτονον λιχανὸν, &c. Nam si λιχανὸς, παραμέση, μέση, παρυπάτη chordæ affuerunt necesse est τὴν ὑπάτην, παρανήτην & νήτην etiam adfuisse, quæ nomina sunt septem chordarum citharæ, quibus veteres usos esse deprehendimus. Ut sic nostra sententia videatur undique comprobari, & in ὀλιγοχόρδοις & πολυχόρδοις Terpandrum excellere cœpisse. At cum non omnes Citharœdi Terpandri essent, in proclivi ipsis erat ad πολυχορδίαν & χρωματικὰ redire. Haud tamen hanc πολυχορδίαν ultra septem chor-

chordas ante Terpandrum processisse facilè reperies. Itaque cum trichorda & tetrachorda sub Terpandro renascerentur unà cum ἑπταχόρδοις, octavam idcirco chordam Simonidem addidisse scribit Plinius, Olymp. 60 qui floruit, secundum Eusebium. Et nonam Timotheum Milesium apud eundem Plinium, sed & decimam, & undecimam ut alii, sic ut ad duodecimam quoque chordam in citharâ videatur processisse, nam sic ex Pherecrate Comico Plutarchus de ipso: *ἀπέλυσε, κἀνέλυσε χορδαῖς δώδεκα*, quasi diceret, jam duodecim, jam paucioribus chordis cecinisse Timotheum, nec semper placuisse tot chordas adhibere. Hæc causa est, cur alio loco scribat. *Τιμόθεος δὲ ἑπταφθόγγου τῆς λύρας ὑπαρχούσης ἕως εἰς Τέρπανδρον τὸν Ἀντισσαῖον, διέρριψεν εἰς πλείονας φθόγγους.* Quo subindicare illum censeo, Timotheum hunc post Terpandrum & octavam & nonam, decimam, undecimam & duodecimam chordam in citharâ solitum esse pro lubitu cumulare; sed & addit Citharœdis hunc morem nequaquam placuisse, sed *καταφρονοῦντας τοῦ Τιμοθέου τρόπου* ab illo chordarum numero distitisse. Vixit autem Timotheus sub Philippo Rege Macedonum Olymp. 108. Ultra decem chordas quæ habent citharæ, jam modum excedunt, ideoque in peculiaria no-

mina transierunt. Sic Μάγαδις dicebatur, quæ 20. aut 21. chordis intendebatur. Σιμικὸν, quod 35. Ἐπιγόνιον, quod quadraginta, apud Pollucem, idque vocat Athenæus l. 4. ψαλτήριον ὄρθιον, aut in illam formam transmutatum Epigonii tamen nomen servare dixit. Nominat verò etiam Alexandrium Cytherium Musicum, quem invenit in Jubæ scriptis auxisse numerum chordarum, & τὸ ψαλτήριον συμπληρῶσαι χορδαῖς.

Post numerum chordarum citharæ, monendum adhuc chordas quasdam aut potiùs φθόγγους ἑστῶτας, alias κινητοὺς dictas, ut rursus Plutarchus suggerit in aureo suo de musicâ veterum libello. Vitruvius l. 5. c. 4. illud imitatus sonos stantes & mobiles dixit, enumeratque stantes, ὑπάτην, μέσην, παραμέσην & νήτην. mobiles verò, παρυπάτην, λιχανὸν, τρίτην, & παρανήτην. Stantes igitur fuere soni & chordæ, quas nunquam remittebant, nec in alios tonos adscendere vel descendere permiserunt. E contra mobiles, quos modò in has, modò in alias harmonias stantibus consonare fecerunt, quas nos hodie quoque retinuimus in nostris testudinibus & panduris, & verstimmungen, vocamus. Sed neque ἑστῶτας aut stantes sonos Plutarchus suâ ætate ab his mutationibus excepit, ait enim. μαλάττουσι γὰρ αἰεὶ τάς τε λιχα-

χανοὺς καὶ τὰς παρανήτας, ἤδη καὶ τῶν ἐσωτῶν τινας παρανιᾶσι φθόγγων, ἀλόγῳ τινὶ διαστήματι, προσανιέντες αὐτοῖς τάς τε ῥίτας καὶ τὰς παρανήτας.

Occaſione igitur citharæ Tranquillinæ in nummo noſtro poſitæ, quid fuerit cithara Græca, quomodo differat ab aliis inſtrumentis orientalium, non nomine ſed re & formâ, paucis monſtrare voluimus.

Inſcriptio Græca nummi ſupereſt, quam compendiò tractabimus, pleriſque jam ante elucidatis. Ita verò ſe habet: ΕΠΙ ΑΙΛ. ΑΡΙΣΤΟΝΕΙΚΟΥ ΓΕΡΜΗΝΩΝ. Sub Ælio. Ariſtonico Sacerdote templi, Germenſes hanc ſtatuam Tranquillinæ honoribus dicatam in templo ſuo reponi juſſiſſe, curaſſe, hæc verba volunt. Cur Ælium Ariſtonicum Sacerdotem, quàm Prætorem vel Στρατηγὸν fuiſſe Germenſium interpretari maluerim ſuperiùs mihi dictum fuit. Germenſes autem, & Germeni cives oppidum habitabant Helleſponti prope Cyzicum. Nam ita Stephanus Γέρμη πόλις Ἑλλησποντίας πλησίον Κυζίκου. Egregiè hunc Stephani locum illuſtravit Lucas Holſteinius Hamburgenſis, quem quidem gaudeo πολυμαθίᾳ ſuâ patriæ non ſolum Urbi decus exſtitiſſe, ſed toto Orbe famam eruditionis & ſolidæ & exquiſitæ circumferre, uti-

nam in fide Christianâ quoque perstitisset, & talis fuisset, qualis in eruditione. Summus ille Vir πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ita mihi præripuit omnia, ut nihil addi queat. Ex nummis enim variis hoc oppidum Hellesponti, quod paucis notum, notissimum fecit. Coloniam Romanam fuisse docet ex Ptolomæo, docet ex nummo Commodi, ubi COL. AUG. F. GERMENO. circa lupam lactantem legitur, & jungi debebat alter ejusdem nummus, ubi Aquila in altari inter duo signa militaria adscriptum refert COL. GERMENO. utrumque enim à Romanis coloniam deductam significat, cum & lupa, & Aquila, & signa militaria Romana sint, adduxit utrumque nummum Dn. Tristan t. 1. p. 716. & 717.

Sed & illud egregiè videtur animadvertisse, quod ubi in Græcis oppidis Latinæ inscriptiones occurrunt, juris Latini colonias fuisse statuendum sit. Deductam igitur à Commodo coloniam Romanorum militum in Germensium civitatem, ut præsidio tali Hellespontus & Hellespontiacæ Civitates reliquæ meliùs continerentur, hinc videmus, quò facit nummus Heliogabali, quem Holstenius ex thesauro Magni Ducis Hetruriæ addidit, ἐπὶ στρατήγου Φορενάτου Γερμηνῶν. Significat enim Στρατηγὸς Duumvirum aut Prætorem &

Præ-

Præfectum cohortium Romanarum iſtius coloniæ apud Germenos. Et licet Holſtenius coloniam Auguſtam Flaviam ex iſto Commodi nummo legat, & Flaviæ cognomen accepiſſe Germenam coloniam exiſtimet à Flav. Domitiano vel Fl. Veſpaſiano, hæ tamen conjecturæ, cum unâ ſolùm literâ F. nitantur, ſubſiſtere minùs poſſunt. Videmus à Commodo deductam coloniam, non à Domitiano vel Veſpaſianis, & ſi FL. in nummo Commodi exſtaret, Flaviæ nomen haud ægré forſan admitterem, ſed litera F. facit, ut aliter interpretari nequeam, quam more hactenus in Coloniis recepto, ut FELIX dicatur Germenſis Colonia, non Flavia. Nummus Severi Imp. quem apud Franc. Gothifredum exſtare ſcripſit Holſtenius, an idem ſit cum illo quem Seb. Erizzo attulit p. m. 580. ubi Imp. inter victoriam & Fortunam, ipſas Deas ſtaturâ ſuperans, ut Mars, aut Deus Opt. Max. poſitus eſt, equidem divinare nequeo, rectè tamen Erizzo illum explicavit, hanc ſtatuam ipſi apud Germenſes in templo conſecratam, & nummum ejus memoriæ percuſſum dicens, tum cum apud Cyzicum Severus Æmilianum & Peſcennium Nigrum feliciter debellaſſet. Quæ ſi Dn. Triſtanus de Germenſibus populis attendiſſet, non ad Germanum & Germalum & ficum ruminalem Romæ prolabi vo-

luisset, nam licet omnino docta sint, quæ hac occasione protulit, haud tamen nummus Commodi de coloniâ Romam deductâ intelligi unquam potest, cum Romani nunquam colonias Romam deducere dicantur vel scribantur, sed potiùs Roma in omnes partes orbis, tanquam mater fœcunda, filios emiserit, colonos; filias elocarit. Nummus Augusti apud Pyrrhum Ligorium, quem ΓΕΡΜΗΝΩΝ præferre scribit Holstenius, & Junonem Γαμηλίαν ejusque Sacerdotem Μουσαῖον, in medio relinquetur. Fuit sanè Musæus tempore Augusti notus, sed in alio nummo, quem Goltzius habet fig. 19. cum inscriptione Μουσαῖος Ῥωμικράτωρ Ὑερμηνῶν. At cum Hyrameni & Hirmini, qui apud Plinium populi sunt Achajæ, aut Elidis, apud Stephanum, hunc Musæum præferant, minus distant Γερμηνῶν & Ὑεραμηνῶν vel Ὑρμηνῶν oppida, quam ut eundem Musæum fuisse asserere possim. Præsertim in nummis adeò diversi argumenti, nam in nummo Ὑραμηνῶν Juvenis palliatus utrâque manu laureas protendens conspicitur, & Musæus non Sacerdos Junonis Gameliæ sed Ῥωμικράτωρ appellatur, hoc est, qui nomine Romanorum provinciam tenebat, titulo omnino singulari, nec alibi occurrente: nam Στρατηγοὺς plerumque nomen sumebant, qui non solùm militari sed omni rei Romanæ in pro-

provinciis præerant. Quare si rectè legit Pyrrhus Ligorius in nummo Augusti, Germenos non inter ignobiles Hellesponti populos & civitates, sed ab omni ævo inter maximè illustres ponendos esse, hinc asseri poterit. Neque post Tranquillinam hujus urbis gloria defecit, nam Christianæ religionis sacris per Asiam constitutis videre licet Germenses ad propriam parochiam & Diœcesin adspirasse, sedemque Episcopalem in eorum Civitate fuisse, quod rectè Holstenius subscriptionibus Chalcedonensis Concilii comprobavit, cui Timotheus Episcopus Germensis interfuit, ejusque ductu Ephesini Concilii menda, quæ in nominibus obrepere præ primis solent, feliciter sustulit, pro Θερμανῶν, & Τερμησσῶν, Γερμηνῶν & pro Τέρμης, Πέρμης restituens.

Antequam finem imponam longa mihi dissertatio necti posset de scriptione Græcorum veterum, primâ, mediâ & hodiernâ; non faciam. Illud dicam. Dictinctones vocum, sententiæ, accentus, ejusque generis puncta nescivit antiquitas, fateor. Num ideo vapulabunt Grammatici, quod hæc adinvenerint? Iniqui planè simus, si ad ferulam eos revocabimus, qui nos ferulæ subducere summo studio quæsiverunt. Haud dubium est nos, quibus jam Græcia dudum cœpit sordere, qui nec à limine

Musas istas salutamus, & de quibus jam verum est, quod Græca sint, quæ nec legi nec intelligi possunt, nisi accentus Grammatici præscripsissent, vix passum in Græcis facere posse, quin utroque statim impingeremus pede. Num nos latet, Græcam vetustam, rotundam, & elegantem linguam planè periisse? nullam superesse gentem, in quâ conservetur? ex solis libris & scholis eam disci? & denique barbaram gentem barbarè Græcam linguam hodie tractasse? nisi accentus Grammaticastri & Magistelli nos isti docuissent, nisi reliquissent, quâ ratione pronunciationem Græcæ linguæ conservassemus? Accentu, ni fallor, Latino, Anglico, Gallico, Germanico, Polonico, tam voces quàm tractus aut mensuras vocum corrupissemus. Vereor, profectò, Latinæ linguæ ne idem aliquando contingat, & accentus exprimendi veniant aliquibus signis in posterorum gratiam, imminet enim quotidie barbaries, perit Latinitas, cujus tabulas præcedenti seculo cœpimus tanquam ex naufragio Augustei ævi colligere. Rursus ad naufragiũ & scopulos redacti sumus, quis labanti linguæ succurret? excitandi sunt Grammatici, ut maturè consulant, aliàs sine accentibus & suo remigio rem ampliùs gerere non poterunt posteri ut hactenus fecimus, sed dicent Poloni: *Poloni* ; *Nos Pòloni non cùramus*

quan-

quantitatem ſyllábarum, Cum adhuc pronunciatio ſibi conſtet: *curàmus quantitátem Syllabárum.* Hæc ideo, ut uſum accentuum in Græcâ linguâ non eſſe futilem, obiter monſtrarem, malèque agere vel protervè, qui Grammaticos eam ob cauſam conviciis proſcindunt, aut planè dilaniant, illis enim gratiæ debentur ſingulares, quod aliquo modo reſtituerint, quæ in vagam, infrunitam, & barbaram licentiam eruptura eſſent. Objicis, non illud regimen linguæ veteres obſervaſſe, quod Grammatici præſcripſerunt. Qui tu hoc ſcis Græcule? vel ſciole? Nos in illâ linguâ neque nati, neque facti, hoſpites omninò ſumus, tot ſecula jam præterierunt, ex quibus nihil traditum de hac re habemus, cur illis uti piget, quæ doctis jam dudum placuerunt, cum his meliora vel certiora nemo produxerit? & vix pauca producere valeat? Video ſanè nummum noſtrum vel ideo rejectum iri, quod à veteri Græcorum ſcriptione abeat. Voces enim ipſas ſuis punctis diſtinctas habet, ſed vix, ut punctum interſit ita cohærent literæ, num ideo malè Monetariis dicendum fuerit? reſpondent; diſtinctiones, & diſtinctam ſcribendi rationem ſe maximè laudare, probare: nam quò diſtinctiùs quis ſcribat, eò meliùs; ſed de accentibus ſe loqui Græcæ linguæ ſuppoſitis, quos Grammaticorum vitio ſuccreviſſe di-

cunt, nullibi monumenta vel Græcas inſcriptiones eos exprimere: cur non ſine Accentibus & punctis, ut Hebræa, & Latina, legi quoque poſſet Græca? hoc antiquum eſſe, ita naturam linguæ requirere. Dixi jam de Grammaticorum animo & inſtinctu, quo ſibi viſi ſunt benè feciſſe, illudque ſeculum in tanto Græcæ linguæ contemtu & excidio requiſiviſſe. Uſum & fructum facilè tyronibus in hâc, ut in Hebræâ linguâ, perſuadebimus, & cum tyrones in illis linguis plurimi maneant, doctoribus ſanè, adſint vel abſint in linguis puncta & accentus, idem omninò fuerit, modò non adſint illis cum Convitio. Propter doctos enim Grammatici accentus nullo, ſubornarunt, nec opus habuere. Sed propter rudes, & poſteros rudiores illam ſibi rationem optimo conſilio ineundam putarunt, nec periclitabitur Græcia, ſi etiam Græcorum literis vetuſtis & quadratis hos accentus adjungimus, prout in vulgari rotundâ ſcriptione ſolemus. Non addam plura, finiamque cum voto, ut ita nimirum Græca refloreſcant ſtudia, ne ampliùs bellum accentibus indicere opus ſit: utantur Criticâ, corrigant in meliùs quantum poſſunt, ament, excolant linguam, non Ἑλληνιστὰς, ſed Ἕλληνες & Heroës veros ſe præſtent, & facilè de accentibus conveniet. Nemo enim muſcas iſtas captare, aut cum illis umbris digladiari velit, ſi cœtera rectè ſe habent.

F I N I S.